



V. 8.

H. III. 28.

DISSE<sup>7</sup>  
TATIO IN AVGVRALIS MEDICA

DE  
<sup>4</sup>  
<sup>5</sup>

# CONSENSV PARTIVM CORPORIS HVMANI

QVAM

CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICI  
PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

DANIEL LANGHANS

BERNAS - HELVETVS.

2. MART. XXVI. MDCCXXXVIII.

H. L. Q. S.



GOTTINGAE,  
APVD ABRAM VANDENHOECK, ACAD. TYPOGR.

DIGESTRATIUS INVALARIAE MELIODI

et

CONGRESSA TACTICIS  
CORPORIS HUMANI

CONGRASSA CRYTICIS ORIGINIS MEDICIS

HABITICIS DEFENSATIS

ALCOHOLIS

ET ANTI-MALICIS DANICIS

PER RUMS - HILARIO

ET ALIOQ[UE]M Q[UA]DAM

IN



GOETSCHE  
PROUTI ACAD. MEDICO-PHYSICO-MATHEMATICA  
ACADEMIA DANTOINIANA

ILLVSTRISSIMO DOMINO  
DOMINO  
IOHANN ANTONI  
DE TILLIER

REIPUBLICAE BERNENSIS CONSILIARIO STATVS

INTIMO,

NEC NON

VIRIS ILLUSTRIBUS, AMPLISSIMIS, GENEROSISSIMIS,  
SENATUS REIPUBLICAE BERNENSIS  
DUCENTUM VIKIS,

DOMINO  
FRANCISCO LUDOVICO  
STEIGER

DOMINO IN ALMENDINGEN, DITIONIS WIM-  
MENSIS EX PRAEFECTIS, SUPREMAE CURRISAE  
APPELLAT. ATQUE SENATUS ACADEMICI  
ASSESSORI.

DO-

DOMINO  
IOHANNI RVDOLPHO  
SINNERO L. B.

DITIONIS SANENSIS PRAEFECTO.

DOMINO  
JACOBO WAGNERO  
DITIONIS TRACHSELWALDENSIS PRAEFECTO,  
PATRONO ATQUE FAUTORI MEO  
AE TERNUM COLENDO.

DOMINO  
CAROLO EMANUEL  
DE BONSTETTEN

DITIONIS BUCHSEENSIS PRAEFECTO

DO-

DOMINO  
SAMUEL ENGEL  
DITIONIS ARBERGENSIS PRAEFECTO  
DOMINO  
NICOLAO GATSCHET

IN EXERCITU REIPUBLICAE CAPITANEO  
STRENUISSIMO,

DOMINO  
FRI DERICO SINNERN  
BARONI IN GRANCOURT,  
SUPREMAE CURIAE APPELLAT. TERRITORI  
GERM., UT ET SENATUS ACADEMICI  
ASSESSORI.

DOMINO  
ALEXAND. LUDOV  
DE WATTENWEIL  
SUPREMAE CURIAE APPELLALT. TERRITORI  
GALLIC. UT ET SENATVS ACAD.  
ASSESSORI.

V

# VIRPS

ERVDITIONE, PERSPICACITATE, MERITISQUE  
SUMMIS, ORNATISSIMIS,

PATRONIS, FAUTORIBVS, ATQUE  
MAECENATIBUS suis AETATEM  
VENERANDIS.

HANC DISSERTATIONEM  
IN GRATIANI TESSERAM

CUM  
ARDENTISSIMO PRO EORVM INCOLVMITATE  
VOTO CONSECRAT.

BARONI IN GLANCOURT,  
SUPEREMAE CATHAE APPELLAT. FERRITORI  
CERM, UT ET SENATUS ACADEMICI  
ASSERZONI.

DOMINO

ALEXAND. OUDOU  
DE MATTHEMEL.

SUPEREMAE CATHAE APPELLAT. TURRIOR  
GADM.

OBSTRICCISSIMUS  
DEDITISSIMUSQUE CLIENS ET CULTOR  
AUCTOR.

V



62

ans pudorem quodcumque ostendit non admissum est  
autem obit. Ceteris tamen notiori sententia illius oppo-  
sita. In proprio enim opere unde etiam omnius in nobis  
liber erit obit.

## DISSERTATIO MEDICA

DE

### CONSENSV PARTIVM CORPORIS HUMANI.

#### §. I.

**M**edico praxi operam daturo, sane non sine magna  
erit utilitate certa variorum illorum Corporis  
Humani consensuum notitia, cum magna gra-  
vissimorum etiam morborum pars unice per hanc illamve  
consensuum speciem in corpore nostro oriatur.

#### §. II.

Per consensum autem harum partium nihil intelligi-  
mus, nisi ejusmodi harum partium inter se harmoniam,  
cujus ope saepenumero contingit, ut affecta una parte,  
alia eodem vel post aliquod tempus perinde male afficia-  
tur. Idem erit genus consensus, si per certas causas in hac  
vel illa corporis parte aliquis producatur effectus, deinde  
alius iterum in alia & a priori plane remota parte nasca-  
tur, qui primum affectum inter suas causas habet. Mani-  
festissi-

A 2

## DISSERTATIO MEDICA

festissima harum rerum exempla sunt abscessus, qui post inflammatorum pleuritidis, pleuropneumoniae, aliorumque morborum inflammatoriorum stadium, in certis locis superveniunt, uti inguinibus, glandulis parotidibus, aliisque etiam interne latentibus partibus. Deinde vomitus ab inflammatione aut a calculo renum excitati. Mammarum intumescentia, quae tempore illo fit, quo foeminas lochia fluere incipiunt, &c.

### §. III.

Omnes hi morbi, symptomata, atque effectus varii, qui per consensum aliquem in corpore nostro excitantur, ad sequentes classes commode referuntur: ad consensum scilicet tunicae cellulofae, quae ubique per totum corpus regnat; secundo ad consensum vasorum, non solum rubrorum, sed & lymphaticorum, & serosorum: tertio ad consensum nervorum: quarto ad consensum partium quarundam, quae fabrica simili inter se & structura gaudent: & quinto denique, ad membranarum consensum.

### §. IV.

Primam ad classem pertinent pleraequae fere species; hydrops nempe anasarca, hydrops scroti; hydrops cavi abdominis, Veteribus ascites dictus; hydrops pulmonum; hydrops asperae arteriae. Abscessus varii. Emphysema, sive aeris per vulnus aliquod in adiposam praesertim tunicam immisso, ibique rarefacti, per universum corpus mira distributio.

### §. V.

Hydrops *ανά σάρκα*, ut nemo facile ignorat, est nimia aquae secretio in adiposam telam subcutaneam, quae iis maxi-

maxime in locis colligi primo incipit, in quibus tardior paulo sit sanguinis per arterias in venas circulatio, quam in aliis partibus. Unde prima plerumque hujus mali sedes in imis est pedibus, a corde quippe omnium partium remotissimis, ex quibus per venas ad cor sanguinis motum valde imminentum esse oportet. *a)* Secernitur haec aqua, neque per vasa lymphatica, neque, per serosa, quae in imis pedibus nondum demonstrata sunt, sed per ipsos rubris continuos canales, qui per omnem subcutaneam cellulosam migrant: haec autem ita fieri, demonstrant anatomicae injectiones, quarum ope cera, aqua, atque aer facillime in hanc telam expellitur. *b)* Ab aucta nunc modo per aliquod tempus hujus aquae copia in imis pedibus, vicinae cellulose areole sensim sensimque replentur, quae sequentibus simili ratione abundantem suam aquam advehunt.

## §. VI.

Hanc igitur ob causam certe haud difficilis nobis erit cognitu origo hydropis scroti, licet plerumque cum hydrocele pro uno eodemque habeatur morbo, quod manifeste autem anatomicis repugnat inspectionibus, uti mox videbimus.

## §. VII.

Sedes hydropis scroti est intermedia illa sine dubio cellulosa inter cutem & membranam, quam Graeci proprio

*a)* Si aqua haec unice in pedibus continetur, & haud ultra ascendit crura, tumoremque ibi aliquem laxum, album & molle producit, vocatur οἰδημα vid. Lomii Observ. Medic. practic. p. 268.

*b)* vid. Ill. atque, aeternum mihi Venerandum FRAECEPTOREM in Comp. suo Physiolog. Cap. i. pag. 9. §. 20.

prio nomine *δαρπτόν* appellaverant. Est ergo haec cellulosa mera continuatio cellulosae subcutaneae, quae sub cute in corpore nostro ubicunque reperitur. Oritur hydrops scroti fere semper ab hydrope anasarca, dum aqua illa hydropica, quae superiora crura & inguina jam occupat, in tunicam externam cellulosam scroti, continuam cum cellulositate inguinum & femorum, lente sese demitrit. Distinguitur hoc malum ab hydrocele, quod cutis scroti, quae in fano homine rugosa est, nunc plane glabra & albicans appareat: deinde, quod tumor ille a distendente humore productus, mollis sit attactu, digitisque impressis facile cedat. In hydrocele autem cutis scroti haud glabra, sed tota rugosa appetet: tumorque hic elasticus est, & impressis digitis magis resistit: occupat etiam plerumque unicum tantum scroti latus. c)

### §. VIII.

Sed in hydrope anasarca a dispositione quadam cacheatica corporis oriunda, non solum pedes & testes, sed tota subcutanea, & musculis etiam interposita cellulosa, ab ejusmodi aqua repletur: visa sunt aliquoties a BOERHAVIO ipsa corpora cavernosa penis ab hac aqua distenta. Non immerito igitur inter alias curationes ab Auctoribus d) profundae superiorum femorum scarificationes commendantur, ad avertendam nimirum aquam illam in subcu-

tanea

c) Vid. Zachar. Platneri Institut. Chirurg. pag. 849. §. 863.

Boerhav. Aphoris. pag. 300. §. 1227.

Heisteri Institut. Chirurg. pag. 8. 42.

d) Frid. Hoffman. in Medicin. rational. pag. 323. Edit. Genev. Boerhay. Aphorism. pag. 307.

68

DE CONSENSV PARTIVM CORPORIS HVMANI. 7

ranea cellulosa superiori contentam: hoc satis commode fieri posse, nemo non videt, nam omnes areolae tunicae cellulosa ita inter se communicant, ut aqua, in una collecta, libere in vicinam exire queat.

§. IX.

Sicuti in hydrope anasarca aqua ex imis pedibus ad superiora sensim sensimque progreditur, ita & hic contingere potest, ut aqua in externa peritonaei membrana collecta, proprio suo pondere versus pelvem descendat, & inde per varias hujus cellulosa productiones vicinas partes adeat. Haec ita fieri posse, ex decursu hujus cellulosa perfecte omnino videbimus. Quando peritonaeum ad conjunctionem sive symphysin ossis pubis pervenit, ubi supra vesicam urinariam sese conjicit, magna telae illius cellulosa pars, quae extrinsecus hoc peritonaeum ambit, discedit idem, atque per vesicae latera ad prostatam, urethram, & corpora ipsa cavernosa abit; potest ergo operae harum productionum aqua hydropica in omnes has partes libere descendere, neque, ipsae testibus circumpositae cellulosa, crurum, inferiorumque denique pedum subcutanea etiam cellulosa ab adfluxu hujus aquae immunes manebunt: continuatur enim modo dicta cellulosa per hiatum illum abdominalem, quem multi, sed immerito quidem, anulum abdominalem vocant, usque ad testes, vasis spermaticis, & ductui deferenti instar vaginae circumdata, quae cellulosa deinceps testis vaginalis tunicam producit. f) Eadem ad superiora pervenit femora cum

f) vid. Ill. PRAECEPTOREM in Comp. Physiol. n. 776, nec non in Comment. Boerhav. Vol. V. P. I. pag. 289.

DISSE

TATIO MEDICA

DE CONSULTATIONIBUS  
OBSTETRICIS ET CHIRURGICIS  
IN HABITACULIS  
CUM MAXIMIS VASIS ILIACIS, QUAE SUB LIGAMENTO *Fallopia*  
TRANSEUNT, ubi iterum cum copiosa muscularis femoris in-  
terposita, & adiposa subcutanea amplum satis commer-  
cium habent.

§. X.

Duae adhuc hydropum species nobis explicandae  
veniunt, hydrops nempe asperae arteriae & pulmonum.  
Prior species sane vix differt ab hydrope anasarca, cum  
aqua illa simili ratione in cellulosa illa inter cutem & car-  
tilagineam asperae arteriae partem media, primo ad cer-  
tam aliquam quantitatem colligatur, & in vicinam con-  
tinuamque paulo post cellulosam tunicam propagetur. g)  
Satis largam, valdeque dilatabilem esse hanc cellulosam,  
quae inter cutem asperaeque arteriae faciem anteriorem  
reperitur, demonstrant pleraque fere huic parti inficta  
vulnera, per quae aer externus facilissime eam subit, atque  
similis cum colli cute in tumorem aliquem expandit.

§. XI.

Licet omnino valde rarae sint, hydrops pulmonum  
observationes, aliquoties tamen contingit, ut lympha,  
vel

Clarissimi atque Eruditissimi Dni Doctoris SCHOBINGERI Amici  
mei, omnium optatissimi & carissimi elegantissimam, utilissimam  
que plane Dill. Inaug. De Dignitate Telae Cellulosae in Corp.  
Humano, in qua fusissime atque exactissime omnino totam huj-  
us cellulosae historiam nobis descriptam dedit.

Testium vaginalis haec tunica certa hydroceles sedes est. vid.  
Mr. Garengeot obseru. de Chirurg. Tom. 1. observ. 27. pag. 461.

vid. Boerhav. Aphoris. pag. 298. §. 122. ubi de hac hydropsi  
specie ita loquitur. Quin & aspera arteria auctiori & conspi-  
cua parte quacunque, vi lympham stagnanteam colligens, Bron-  
choceles saepe speciem exhibet.

vel aquosa sanguinis pars, aut ex ruptis quibusdam lymphaticis vasis, aut ob similes forsan causas, quae hydropem anasarcam gignunt, in pulmonum cellulosa substantiam perveniat. Haec vasa a R V D BECKIO descripta, a D. FERREIN & HVNAVL D repetita, varia in pulmonum superficie reticula habent, quae ad glandulas vicinas bronchiales migrant, indeque ad oesophageas, & abhinc denique in ductum thoracicum. Similes hydropum species reperiuntur vel in ipsa ovariorum mulierum cellulosa, b) aut in eorum cavitate interna, quas multi pro principi Sterilitatis causa habent. Sic etiam in utero non infrequens valde ejusmodi hydrops, qui plerumque sub nomine hydatidum venit. i)

## §. XI.

Transimus nunc ad abscessuum historiam, qui per consensum tunicae cellosae variis in corporis partibus apparere solent. Neminem esse, credo, qui nesciat, nihil esse abscessum, nisi congeriem purulentae ejusdam materiae, post praegressam aliquam inflammationem in loco affecto productae, quae ex affusis per erupta a nimia inflammatione

b) vidit BOERHAAVIVS ejusmodi hydatides in ovariis mulierum, quae octo & decem denique aquae libras continebant.

i) Hydrops uteri difficuler certe potest agnosciri, uti optimus DRE LINCOV RT in epistola ad BONETVM libere fatetur: accusat enim se ipsum, quod formosam aliquando, sed omnino honestissimam Virginem, cui mammariae lacte incipiebant turgere, & ciborum jam aderat fastidium, Drastricum petentem, repulerit ut gravidam, & medicamenta negaverit: mortua autem biennio post hac virgine, & corpore inciso, innocentiam ejus cum dolore detexit.

B

ne vasa ultima liquidis, & liquefacta simul pinguedine fit. Sed alia adhuc observatur species abscessuum, qui, praegressa antea nulla plane inflammatione, certa quaedam loca superveniunt. Hi vulgo *metastatici* appellari solent, atque duplicitis sunt originis; alii enim pertinent ad vasorum consensum, de quibus suo loco nobis dicendum erit: alii ad consensum tunicae cellulosae.

### §. XIII.

Unum alterumque hic sufficiet exemplum, ad demonstrandam horum abscessuum originem, qui ad consensum cellulosae tunicae pertinent; nam sicuti pleraeque hydropum species ratione suae originis nihil plane inter se differunt, ita etiam & abscessus isti nullam adeo magnam differentiam admittunt. Demonstrabimus ergo, quomodo post pleuritidem nata in pleurae externa cellulosa materies purulenta <sup>k)</sup> in subcutaneam affecti thoracis lateris cellulosa possit pervenire. Duplicem hanc viam esse, per quam ejusmodi purulentae materiae fit translatio, docet Anatome. Prima est, quando pus arteriarum & venarum musculos intercostales perforantium cellulosa sequitur, quae non solum cum intermedia horum muscularorum cellulosa, sed & cum externa subcutanea manifestum commercium habet. Altera autem via est, quando pus ad angulum illum costarum, ubi musculi intercostales interni desinunt, per intermediam horum muscularorum cellulosa in subcutaneam migrat. <sup>l)</sup>

### §. XIV.

<sup>k)</sup> Hos abscessus olim Aegyptii, si post diem decimum quartum subito dolor pleuriticus remiserit, scalpello, vel ferro ignito aperiebant. vid. Aretaeum lib. 1. de Morb. Acut. Cap. X.

<sup>l)</sup> vid. Eruditissimum D. D. SGHOBINGERVM, Amicum, quem certe magis am o, quam memetipsum in Diff. Inaug. pag. 5c.

## §. XIV.

Neque sane dispar est ratio originis abscessuum reliquorum omnium, qui huc referri possunt. Nati sunt ope hujus tunicae cellulosa abcessus in extremis manubus a deglutitis aciculis; <sup>m)</sup> sic etiam ad umbilicum, ad axillas, &c. ab aliis per os ingestis scindentibus, vel pungentibus corporibus, quae in abscessibus reperta sunt. Haud potuit deglutita ejusmodi acicula aliter, nisi per consensum tunicae cellulosa ad manus pervenire, perforata prius illa oesophagi parte, quae extra pectoris cavitatem sita est: probabile omnino videtur, hanc aciculam, quae in cellulosam forte aliquam brachii muscularis interpositam pervenit, aequali compressione horum muscularum ad inferiores sensim sensimque promotam fuisse, & horum simili denique conatu & actione ad volam usque manus pervenisse.

## §. XV.

<sup>m)</sup> vid Mr. PETIT dans les Memoir. de l'Accad. Roy. de Chirurg. pag. 552. Invenit aciculam in abscessu, qui in infuso pede a degluti & ad eum usque locum descensu, generatus fuerat. MORICHEN. Observat Medic. chirurg. obs. 21. similem describit casum in Foemina, quae ex improvisu aciculam deglutivit, quam ex superiori pedis parte, quam simili modo parvulus abscessus obfidedat, postea extraxit. WILLIAMS DERHAMS Physic. Theologic. pag. 811. RODERICUM a CASTRO Lib. 4. de mulierum morbis. Cap. 6. BLANCARDI Anatom. Practic. Cent. 1. Observ. 42. REIES Camp. Elys. jucund. quaest. 92. Sect. 1. pag. 1175. circa aurem dextram ex abscessu aciculam extravit. Les Memoir. de l'Accad. Roy. de Chirurg. pag. 550. Ubi PETITVS similem priori historiam enarrat. Confer etiam Philosop. Transact. Num. 265. 282. 304. &c. RYNSCHIVM Observ. Anatom. 55. advers. Dec. II. pag. 12.

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> MEDICA DE COMPARATIONE  
ILLAMVS.

§. XV.

Ultimus qui nobis explicandus superest morbus, & qui merito ad hanc consensuum speciem referri debet, est emphysema. Haec vox grecae originis est, oriturque a verbo *εμφυσω*: emphysema ergo dicimus, quando post vulnus aliquod pectori aut integumentis capitis infictum, aer externus in adiposam tunicam subcutaneam irrumpit, eamque ita destendit, ut totum ubique corpus, aut magna saltē ejus pars, aere tumida appareat.

§. XVI.

Contingit saepenumero, praecipue autem in hominibus macilentis, quibus aut per lapsum, aut instrumento quodam leniter tantum aliqua integumenti ossa cranii ambeuntis pars vulnerata fuit, ut aer per totam subcutaneam cellulosa fese diffundat, uti MERY, PALFIN, & praescritim BOERHAAVIUS <sup>n)</sup> noster observarunt.

§. XVII.

Certa quaedam sunt loca tam interne quam externe in corporis superficie, per quorum vulnera aer nos ambiens longe facilius vicinam cellulosam subit, quam per alias corporis sedes. Omnia subcutanea loca multa pinguedine repleta, post accepta vulnera ab hoc malo plerumque immunia esse solent, uti v.g. nates, crura, pedes, ipsum abdomen, brachia, &c. quibus magna prae reliquis omnibus corporis partibus adipis atque pinguedinis copia est. E contrario autem, loca minus pinguedinosa, & macilenta, qualia sunt, tota capitidis posterior & lateralis ad aures usque pars, nec non pectoris latus utrumque magis omnino ad fuscis.

<sup>n)</sup> Vid. Commentar. ad Institut. Vol. VI. pag. 87.

## DE CONSENSV PARTIVM CORPORIS HVMANI.

fusciendum aerem disposita sunt, per vulnera sua. Unde Chirurgi in pectoris aut capitis vulneribus summa semper cura, antequam labia ad se invicem adducunt, & glutinantia sua emplastra imponunt, aerem intus expellunt. Neglecta enim ab ignaro & artis suae minus perito Chirurgo hac cautela, aer in cellulosa illa subcutanea macilenta, in fronte v. g. coercitus, & a corporis naturali calore rarefactus, brevi per totam ubique faciem, palpebras, collum, brachia, unoque verbo per totam non solum subcutaneam, sed musculis etiam interpositam tunicam cellulofan diffunditur, eamque ad crassitatem duorum pollicum distendisse visus est. Simili modo in vulnerato oesophago, o) aliisque internis partibus, quas aer externus adire potest, nascitur emphysema.

## §. XVIII.

Ex historiis emphysematum fatis patet, cellulosam subcutaneam non solum per totam regionem, quae subcute est, sed cum aliis etiam internas corporis partes ambientibus cellulosis infinitas certe communicationes habeat. Non ignorant hoc commercium Laniones, qui per tubos mactatis suis animalibus aerem inter cutem & musculos inflant, ut facilius de carne, mediante cellulosa ei adnexum pellem detrahant. p) Hanc artem plurimi Helvetiae nostrae rustici in equis vivis, quibus, ut pulchram atque formosam eis formam concilient, aerem simili ratione per inflictum cuti vulnusculum in subcutaneam cellulosam

o) vidit B O E R H A A V I S ejusmodi emphysema in dissecto nobilis Viri cadavere, quod post ruptum oesophagum in vicinis cellulosis tunicis natum fuerat. vid. ejus bistor. alter. morbi atrocis.

lulosam impellunt, iterque, emplastro claudunt, ne fraus tam nefaria ab emtoribus facile percipi queat. Idem etiam artificium orientales aliqui mangones in camelis imitantur, p) quos ob fallacem, quam acquirunt, pulchritudinem, ignaris hujus fraudis pretio cariori vendunt.

### §. XIX.

Sane haud opus esse, existimo, ut multis hic expōnam causam atque rationem physicam, ob quam aer in tunica cellulosa coercitus adeo mirabiles effectus producat. Nam si quis generales tantum aeris nos ambeuntis agnoverit proprietates, quae eo in primis redeunt, ut ab incubente & premente corpore in angustius aliquod spatiū comprimi possit, & remota causa premente, proprio suo elatere iterum expandi, & calore incredibiliter dilatari, ille sine dubio facilime videbit, effectibus illis nihil plane obscuri inesse. q)

### §. XX.

Propositis sic plerisque, quoad mihi licuit, illorum morborum speciebus, qui ad consensum tunicae cellulose pertinent, ad proximum caput jam jam nos conferimus, ad historiam scilicet vasorum, quam non solum arteriae rubrae et venae, sed reliqua simul omnia vasa excretoria constituant.

## SECTIO

p) vid. LITTERVM Mem. de l' Accad. Roy. des Sc. 1713. MAVCHARTVM in Ephem. N C. centur. 1. observ. 12.

q) vid. Illust. atque, Excellentissimum SEGNERVVM, Praeceptorem meum omni pietate mihi venerandum, in seiner Einleitung in die Natur-Lehre. pag. 104. ad pag. 110.

## SECTIO II.

## DE CONSENSV VASORVM.

## §. XXI.

Magnum certe hic vasorum consensus in se continet numerum morborum symptomatum & affectuum. Hujs enim loci est, omnis major sanguinis determinatio ex una parte in aliam: r) deinde contagiorum resorbtiones & metastases materiarum morbosarum: huc pertinent excretiones & evacuationes variae: animi affectus nonnulli.

## §. XXII.

Primam ad classem sane non immerito ab auctoribus practicis capitis dolores & deliria febrium acutarum referuntur, de quibus plerumque aegroti hujusmodi febre laborantes, aut ab initio febris, aut in incremento demum valde conqueruntur. Eorum deliriorum, licet variae omnino causae sint, princeps tamen unice a majori sanguinis in cerebrum delati copia petenda videtur, quae arteriarum diametrum ita sensim distendit, ut vicini nervi vel comprimantur, vel a novo saltem a corde in arterias pulso sanguine ingratam aliquam pulsationem percipient.

## §. XXIII.

Haud mirum videri potest, in febribus acutis dolorem capitis pro prima causa majorem sanguinis in cerebrum adfluxum habere, si arteriae carotidis truncum communem & arteriam vertebralem simul sumtam comparaverimus cum lumine arteriae aortae, in quorum rationem aliquoties inqui-

r) vid. Magnum Praeceptorem in Comp. Physiolog. p. 500.

inquisivit magnus & aeternum mihi venerandus PRAECEPTOR. Invenitur omnino arteriarum carotidum & vertebralium lumina simul sumta  $\frac{1}{3}$  esse luminis aortae. Oportet igitur ut per haec vasa ad minimum  $\frac{1}{3}$  totius sanguinis ad caput perveniat. In fetibus autem, quibus haec arteriae ratione corporum suorum majores quam in adultis sunt, major & dimidia forte pars ad caput ascendit. Ea copia sanguinis poterit vel per motum muscularum, vel vitalem facile augeri, & in caput determinari, uti nos docet ratio hydraulica. Omnis enim canalis ita dispositus, uti arteria aorta educet ex convexitate arcus particulas fluidi intus moti motus tenacissimas, cum ii rami sint in directione axis, quae vero ex concavitate trunci prodeunt, extra axis directionem sunt: necesse igitur est, particulas mobilissimas ex arcu aortae in arterias carotides propelli. Hanc rem ita sepe habere, ex quibusdam practicis experimentis abunde constat. Mercurius v. gr. ex mobilissimis atque ponderosissimis constans particulis, non potest fere ulla arte impediri, quin in caput ascendet, ibique effectum suum per salivationem prodat; nunquam autem agit per diuresin, raro per alvum. Simili ratione omnia medicamenta volatilia operantur in corpore nostro, ut alcohol vini, &c. quae in cerebrum continuo & quam velocissime rapiuntur. Repertus est aliquoties spiritus vini in cerebri ventriculis, post obitum hominum, qui huic potui valde adsueti fuerant.

#### §. XXIV.

Apparet nunc satis, puto, manifeste, in febre acuta, ubi cordis & arteriarum pulsus praeter naturam valde frequens est, sanguinem tanta copia ad caput pervenire, ut vasa necessaria omnia distendat, atque hoc modo teneram cerebri

cerebri substantiam moleste etiam afficiat. Pendet etiam a nimia hacce sanguinis agitatione & copia deliriorum in his febribus ratio, quae continuo tolluntur, dummodo repetitis, iisque satis largis venaे sectionibus, pediluviis & phoenigmis cerebro abundantem suum sanguinem detrahamus, & ope hujus irritationis ad inferiores partes derivemus. Hujusmodi revulsiones non solum hic commode instituuntur, sed in omnibus etiam reliquis partibus. In inflammatione enim v. gr. pulmonum, pleuritide, vel quo-cunque demum morbo inflammatorio, imo etiam, quando materies podagrīa interiora verlus retropellitur, multum certe juvant, teste experientia.

### §. XXV.

Certa quaedam habemus signa, quae demonstrant, sanguinem in febribus acutis maxime determinari ad caput. Huc pertinet rubor faciei, aurium tinnitus, carotidum pulsationes in collo, oculorum tumor, vertigines, narium hoemorrhagiae, & quae reliqua sunt. Vertigines oriuntur, dnm interna arteria carotis vicinos, imo proxime adpositos nervos opticos, & magis vicinos ramisque arteriosis obnuptos nervos tertii paris pulsat, quod alias in statu naturali nunquam, nisi in hominibus summe plethoricis observatur. Similem vertiginis speciem illi etiam patiuntur, qui vino aut alio spirituoso potu se se obruunt, ut ex praecedenti (§. 24.) optime patet.

### §. XXVI.

Alteram adgredimur abscessuum historiam, qui per vasorum consensum fiunt. Enarravimus in superioribus quaedam abscessuum metastaticorum exempla, quae per

C tunicae

tunicae cellulosaes consensum certa quaedam loca supervenient. Oriuntur abscessus ope conlensus vasorum, quoties post praegressam aliquam inflammationem, post pleuritidem (v. g. pleuropneumoniam, peripneumoniam, paraphrenitidem, &c. materies purulenta per vasa resorbentia in sanguinem recipitur, & ex eo ad alias partes advehitur. Recensebimus ex ordine omnes sigillatim abscessus, qui post hunc vel illum morbum inflammatorium nascuntur.

### §. XXVII.

Quando adeo ab irresolubili inflammatione pulmonum, externi thoracis, diaphragmatis, aut aliis in corpore notabilis visceris, pus natum est, resorbetur id omnino, vel per aperta oscula venarum resorbentium, quae in tunicam cellulosaem patent, in cuius areolas elabitur, vel per vasa illa resorbentia, quae in toto thoracis non solum & abdominis interno ambitu, sed in omnibus corporis nostri cavitatibus copiose ubique reperiuntur. Per ea vasa in maiores venosos ramos revehitur, & ex his in truncos, qui ad cor ducunt.

### §. XXIII.

Facillimum est demonstratu, omnino in omni tela cellulosa magnam adesse vim ejusmodi venularum, quae nimam in areolis hujus telae secretam pinguedinem, aut aliud quod.

s) vid. BOERHAAV. Aphoris. pag. 199. §. 892. De Peripneumonia vera. pag. 181. §. 892. de Paraphrenitide pag. 204. §. 910. ARETAEVM de morbis acutis lib. I. pag. 9. lit. B. FRID. HOFFMAN. Edit. genev. Tom. I. pag. 137. §. 17. ubi hujus morbi historiam ex Areatae proponit. LOMMII observ. medic. pag. 108. 115.

quodcunque liquidum resorbent. Nemo enim ignorat, in somno, omnique animi, corporisque perfecta quiete, maximam adipis atque pinguedinis copiam in tunica nostra cellulosa generari, quae certe, nisi per vias aliquas aut in sanguinem, inde ad renes, aut ad intestina, aut immediate per transpirationem auctam extra corpus decederet, brevi in immensum cresceret. Oportet ergo, talia hic adesse vasa, per quae liquefacta, & nimia pinguedinis pars ad alias partes pervenire possit. Hoc eleganter probant experimenta nonnulla practica. Videmus in luis venereae curatione mercuriali omnem fere in corpore pinguedinem solvi, atque ad fauces determinari, ita ut infelicissimis ejusmodi hominibus superata curationis vi ossa sub cute emineant, quae antea multa pinguedine tecta, vix percipi potuerunt. Sed non diu in eo tristissimo statu eorum corpus manet, quod sceloton plane reffert, acquirunt enim brevi tempore, postquam salivationem passi sunt, tantam pinguedinis copiam a bono cibo potuque, ut amissum multarum librarum pondus non solum restituant, sed multis libris praeterea augent. Eadem observamus in hydrope ana-farca, hydrope ascite, & reliquis hydropum speciebus, ubi quam maxime areolae tunicae cellulose aqua diffentiae sunt, quae educi haud potest, nisi validis purgantibus naturale robur & libertatem resorbentibus tunicae cellulose vaculis penitus, vel ex parte saltem conciliaverimus, quod fit, quando intestina a transeunte materie ita irritantur, ut flegmatis & tenuior ejus pars copiosius in vasa mesenterica confluant, & venae bibulae, nunc inanes ad resorbendum liquidum in cellulosam effusum, aptiores evadant. Aliud porro occurrit exemplum hujus rei in suppuratorio variolarum

larum recursu, <sup>1)</sup> sub quo tanta saepenumero consumuntur pinguedinis, subcutaneae praecipue copia, ut vix dictu credibile sit: visum enim est, hunc morbum haud longo ceete ex tempore quinquagintas libras consumisse, quae partim per sudores viscidos, partim per urinam, partim per suppurationem ipsam decesserunt: Sedimentum, quod in urina eorum hominum reperitur, mera pinguedo soluta esse solet.

### §. XXIX.

Similia etiam per vasa resorbentia resorbetur purulenta illa materies, quae post pleuritidem, vel praegressam pleuropneumoniam in pectoris cavo collecta fuit. Adsumt enim & hoc loco, uti in omni corporis cavo, ejusmodi vasa resorbentia, <sup>2)</sup> ob perpetuam nimirum exhalationem vaporis illius aquosi, & coagulabilis, qui ex universa pulmonum superficie ex ultimis arteriarum finibus exhalat. Similem exhalationem producimus, ope injectionum aquarum, quae per arterias, aut venas, in tota pulmonum superficie exsudant. Quando eae exhalantes arteriolae liquidum suum debito modo secernere pergunt, & venae desinunt suo fungi munere, id est, nimiam secreti liquidi quantitatem iterum resorbere, oritur proprium pectoris malum, quod Recentioribus sub nomine hydropsis pectoris notum est, de quo ne tantillum autem a Veteribus nobis memoriae proditum est. Eodem modo res sece habet in cavo abdominis, ubi ex omni interna peritonaei parte priori similis exhalat liquor viscidus, coagulabilis ab igne

&amp;

<sup>1)</sup> vid. Thom. SYDENH. pag. 137. 138. 156.

<sup>2)</sup> vid. magnum PRAECEPTOREM in Compend. Physiol. pag. 124. & 84.

& alcohole, quem resorberi etiam oportet, ne idem hic ac in pectori contingat malum, cum hydrops abdominalis a pectoris hydrope non nisi nomine differat.

### §. XXX.

Mixta denique sanguini purulenta haec materies resorpta, vi cordis & arteriarum brevi per vniversum corpus distribuitur: transit aliquando sine damno pulmonum, hepatis, aliorumque viscerum nobilium, vasa tam rubra quam reliqua: saepe autem in ultimis harum arteriarum finibus inimicabilis haeret, novamque ibi inflammationem producit, & suppurationem; quod sine dubio a dispositione quadam pendet inexplicabili corporum, & variabili hujus materiae consistentia, quae modo crassior, modo soluta magis, modo deterior, modo minus, concipi debet. Loca autem consuetissima, in quibus plerumque haec materies infarcta haeret, sunt glandulae quaedam conglobati praesertim generis, nec non conglomerati, parotides scilicet & inguinales, quod ab Hippocrate jamjam animadversum video. <sup>w)</sup> Sed praeter haec loca tamen non raro etiam hepar afficitur.

### §. XXXI.

Sane mirabilis plane hujus materiae purulentae in corpore decursus est; cur enim plerumque unice fere in dictis glandulis accumulatur, ibique abcessus format; cur non in aliis glandulis conglobatis, quae magna certe copia per collilatera partim ad alas, partim in ipsum pectus cum arteria aspera, supra pericardium ad superiorem usque septi

<sup>w)</sup> in Prognost. Charter. Tom. viii. pag. 684.

septi transversi partem descendunt, & per hoc cum ductu thoracico & arteria aorta per totum abdomen ad ipsa inguina.  $\alpha$ ) Simili inter se gaudent fabrica & structura omnes hae glandulae.

### §. XXXII.

Hujus rei ratio quaerenda forte erit in peculiari harum glandularum situ, quarum aliae, ut nemo non videt, aeris frigidiusculo adflatui externo magis sunt expositae, aliae autem minus. Glandulae enim parotides, nec non inguinales, non nisi unico teguntur involucro, cute scilicet, quare facilime certis quibusdam temporibus aliqua mutatio in his contingere potest, quae internis glandulis vix potest accidere. Ita poterit ab adspirante aere frigidiusculo aliqua in his vasis constrictio fieri, quae glandulas has adeunt, ut materies illa purulenta, per ultimos horum vasorum fines nunc transeunda, plane immeabilis reddatur: Ut enim, ineunte vere, aut autumno a subitanis aeris mutationibus gravissimae obstrunctiones & inflammations intra quartum saepenumero diem funestae, in vasis intercostalibus facile generantur, licet non unico tantum involucro tegantur, sed validissimis praeterea muscularis, qui in utroque latere pectus cingunt, cur non malum idem & hic in subcutaneis ejusmodi vasis locum habeat, quando a frigido aere constringuntur.

### §. XXXIII.

Sed in internis glandulis ab omni quippe externi aeris injuria immunibus, haud simile aliiquid unquam timendum

$\alpha$ ) Illusfr. atque aeternum mihi venerandus PRAECEPTOR in primis Physiol. lineis, pag. 87. §. 183.

69

DE CONSENSV PARTIVM CORPORIS HVMANI.

23

meendum est, quum aliis etiam gaudeant naturae auxiliis, quibus dictae subcutaneae glandulae carent. Foventur enim perpetuo naturali vicinorum viscerum calore, & exhalente ex iisdem visceribus liquore limpido, atque calidiusculo lubricae servantur, ut necessario hoc modo arteriae omnes, quas accipiunt, ad expansionem & dilatationem facilius se accomodent. Interim haud dubito, quin & internis quibusdam glandulis ejusdem praecipue generis, similes saepe nascantur abscessus: verum hoc non nisi ex longinquo tamen suspicari nobis licet.

§. XXXIV.

Quemadmodum haec ab inflammatione producta materies purulenta per vasa alia resorbentia sanis antea corporis partibus potest advehi, novamque ibi iterum excitare inflammationem & suppurationem, ita etiam propagantur contagia omnia ex primis suis sedibus in alias atque remotas partes. Id manifesto videmus in morbis praefertim venereis, rabie canina, variolis, &c. Vix ullus in corporis tam externis quam internis partibus locus est, ex quo, si venereum ei applicatum fuerit venenum, non possit non aliquid in aliud locum transferri. Hoc fieri potest, aut per sudores, aut contrectatione, aut lactatione aut infecta salixa, aut per ipsum concubitum, teste experientia. a)

§. XXXV.

Si certum est, his modo dictis modis venereum malum ad internas partes propagari posse, oportet, cutem in toto nostro corpore talia habere vasa, quae tenuem adhaerentem liquorem & subtilissimum hoc alcalinum venenum

a) vid. BOERHAAV. Aphoris. pag. 340. §. 1441.

num resorbeant, & in sanguinem revealant. Consentunt huic nostrae sententiae variae observationes practicae: mercurius enim unguentis quibusdam exceptus, leni frictione manubus facta, plerisque locis per cutem penetrat, & ad sanguinem venit. Eo venire, adparet ex affectibus, qui post ejusmodi frictionem sensim in faucibus aegrotorum apparent, ex quibus post tertium diem ingens liquefactae a mercurio in tela cellulosa pinguedinis copia effluit, quae ad glandulas salivales determinatur. Reperti sunt, haud semel certe in hujusmodi hominum hoc morbo consumptorum cadaveribus, integri globuli mercurii crudi, sanguini per frictions repetitas advecti, & ex hoc in carosum aliquod os depositi.

## §. XXXVI.

Quando in gonorrhœa virulenta, aut in penis veneo cancro sanioſa haec materies adstringentibus, aut alio quoconque modo in sanguinem retropellitur, oriuntur bubones in inguinalibus & axillaribus glandulis, nariumque & faucium membrana post aliquod tempus folidis ulceris obſidentur. Multi scriptores crediderunt, sedem hujus gonorrhœae esse glandulam prostatam, ex quo corruptus liquor prostaticus efflueret. Verum ea glandula ab hoc malo plerumque immunis reprehenditur: sunt autem sinus illi muciferi urethrae MORGAGNI<sup>a</sup>, b) qui sanioſam illam materiem in cavitatem urethrae effundunt. Horum

b) Hos sinus EVSTACHIVS olim perspectos jam habuit, ut tabulae ejus, octavo post mortem suam editae, docent; sed melius omnino eos descripsit, & depinxit ILLVST. MORGAGNIVS in Adversariorum Anatom. Tab. IV. fig. 4. ita, ut re vera fas sit, hos sinus suo nomine Morgagnianos appellare.

rum sinuum, ut paucis rem absolvam, alii majores sunt, alii minores, atque per totam urethrae partem superiorem & lateralem dispositi; tendunt oblique versus glandem. Superiores & reliquis majores octo, novem, vel decem adesse solent. Maximus autem omnium sedet retro glandem, qui primum ab impuro concubitu saniem illam fuscipit. Similes sinus in uteri praesertim cervice, qui vulgo ova Nabothii dicuntur, & secundum urethram, nec non circa clitoridem, &c. reperiuntur. Secernitur ex his dululis mucus aliquis, qui in Viris sensillissimam urethram oblimit, ne urina in transitu suo acri & irritante sua natura aliquod damni ei inferat: hinc quoties deficit, aut abraditur, intolerabilis dolor nascitur, de quo homines gonorrhoea laborantes perpetuo queruntur, quoties urinam mittunt. Quando materies haec ichorosa diu ita sibi relinquitur, in diem magis magisque vicinam urethrae substantiam corredit, & ampliora sensim in ea generabit ulcera, & praeterea eodem modo subtilissimum hujus materiae in sanguinis universam massam resorbetur, uti sit, quando lues venerea per sudores acquiritur. Urethrae enim structura non differt a reliqua cute, quae non sit, nisi canalis ex cute, cellulosa, & epidermide, factus. c) Oportet igitur, talia & hic etiam adesse vasa resorbentia, qualia in toto externo corporis ambitu reperiuntur. Inde procul dubio pendet ratio originis inflammationum & ulcerum illorum, narium pituitariam & faucium membranam obsidentium.

## §. XXXVII.

c) vid. Magnum HALLERVM in Compend. Physiol. pag. 422<sup>a</sup>  
§. 765.

## §. XXXVII.

Mirabilis hujus veneni in Corpore effectus omnino notatu dignus est. Vidi aliquos aegros, quibus ab impuro concubitu parva, sed concrosta ulcuscula retro penis coronam nata fuerant, quae, cum statim decoctis ex ligno sancto, sassafras & mercurio dulci paratis, occurrerem, alia que praeterea remedia, ad depuranda ulcera imponi juherem, mox evanuerunt, sed brevi in faucibus in conspectum venerunt, his simili ratione delectis, ad pristinam sedem malum iterum rediit, quod tamdiu contigit, donec a sufficiente mercurii usu omnis hujus veneni vis iners plane redditia fuerit.

## §. XXXVIII.

Licet nobis plerorumque fere contagiorum natura, quae tot & tam stupendos saepenumero effectus in corpore nostro producit, penitus, vel magna saltu ex parte sit incognita, haud obscura tamen mansit via illa, per quam internas partes adeunt: nulla enim datur alia, nisi per vasa resorbentia, quae non solum in omni externo corporis spatio, sed in internis etiam partibus illis maxima reperiuntur copia, quae ad suscipiendum praesertim cibum potumque destinata sunt. Hujusmodi ergo partes sunt, oris interna cavitas, faucium, oesophagi, ventriculi, & intestinorum omnium; praesertim quidem tenuium, <sup>d)</sup> in quibus

cer-

<sup>d)</sup> In intestinis tenuibus nullum plane dubium est, quin multa similia ad sint vasa resorbentia. Non semel ea injecit Magnus & pie mihi venerandus HALLEVS per venam scilicet mesentericam, in quam, & duodenalem dextram confluent, vid. Comp. Physiol. pag. 390. §. 712. RYX SCHII Advers. Dec. II. pag. 18. & Adv. Dec. III. pag. 23.

Opus

certe vim innumerabilem vasorum resorbentium esse oportet, quorum nonnulla oculis conspicere queunt, alia, quippe minora per varia experimenta demonstrantur. Si quis in ore spiritum vini, aut alium quemcunque potum spirituosum diu continuerit, specie quadam ebrietatis corripitur, ipsa sanguinis circulatio auctior ei redditur, & vires universi corporis in debilibus exinde valde refocillantur, manifesto satis argumento, volatilem horum liquidorum partem in sanguinem resorberi. Non male hoc utimur adminiculo in praxi medica, quando subito amissae in corpore vires instaurandae sunt. Longe major est numerus vasorum resorbentium in cavitate ventriculi & in testinorum, quae omnis potus libere & intra paucissima saepe minuta ad sanguinem transit, nam in statu fano vix guttula per anum effunditur, & si magna liquidorum copia, sub usu ex. gr. acidularum & aquarum mineralium, epota fuit.

### §. XXXIX.

Diversa est contagiorum omnium in corpore nostro indoles: alia enim unice fere fauces affligunt, uti rabies canina: alia sub epidermide stigmata varia producunt, qualia a morbillorum contagio & petechiarum quarundam fiunt: alia in cute inflammationes excitant, que mox in suppurationem abeunt, quemadmodum hoc videre nobis licet in contagio vero varioloso: alia prae nimio sudore corpus fere consumunt, uti in sudore anglico: alia in glandulis quibusdam suam injuriam exerunt, & partes musculosas destruunt, uti in peste: alia iterum aliter atque aliter se produnt. Sed quaenam causae sint, cur unum contagium magis hoc modo & non alio in corpore agat, &

D 2

na

## DISSERTATIO MEDICA

cur in hac vel illa tantum parte adeo mirabiles producat effectus, id quidem, ut lubenter confiteor, plane me fugit. Theoreticis haud adeo difficile erit, pro lubitu varias hic detegere causas; sed invenire causas, quae veritati & naturae horum contagiorum respondent, res erit, omnibus difficillima. Quis enim unquam hominis, rabie canina aut peste vera consumpti cadaver, ad examinandas interne affectas partes sollicite secuit, cum constet, ab unico saepe attactu funestum in se ipsum morbum transfire posse. e) Interim fas est, reliquos hic etiam paucis considerare morbos, & affectus, qui ad vasorum consensum referri optime queunt.

## §. XL.

Diximus (§. XXI.) ad vasorum consensum varias excretiones pertinere, & evacuationes sanguinis, reliquorumque liquidorum. Earum haec praecipue notatu digna est, quae a terrore subito in intestinis, sub nomine diarhoeae accedit. Hujus excretionis prima causa pendet sine dubio a nimia nervorum relaxatione, & a debili spirituum animalium ad cor & arterias determinatione, uti ex variis phaenomenis hic occurrentibus, satis appareret. Omnia enim plane relaxata sunt, ipsum cor vix tanta vi gaudet, ut sanguinem debito modo per omnes arterias expellere possit. Hinc multi, maxime quidem homines debiliores in animi

e) vidit BOERHAAVIVS Leydae Medicinae studiosum, qui, cum canem rabie sua extinctum, inscius aperiret, & dissecaret, in eundem incidit morbum quo postea consumptus est. Alius instrumento leniter vulneratus, quo antea canem canem rabiosum dissecuerat, simili morbo corruptus, brevi post, miserrimo modo vitam amisit.

694

deliqui cadunt, quae nil nisi quies cordis sunt, & eandem ob causam fréquenter in meticulosis cordis & arteriarum polypi reperiuntur. RIVINVS, PECHLINVS, aliique Clarissimi *Viri* observarunt, grassante peste, neminem nisi timidos, & eos, qui infecta corpora tangunt aut cum hominibus infectis vivunt, hunc morbum contrahere. Intimidis enim tota cutis, omnesque vasorum sphincteres relaxati aerem corruptum & infectum magis ad interiora transmittunt. Manifestum hujus rei exemplum nobis suppeditant Medici illi Monspelienses, a Rege olim massiliam missi, ubi pestis contagium multa jam millia hominum interfecerat, qui tamen delecto omni contagio, sani atque incolumes domum redierunt. Certum igitur est, nullam aliam hujus diarrhoeae causam esse, quam nimiam nervorum omnium relaxationem, praesertim autem illorum, qui laquei instar arterias includunt. f) Unde, destructo hoc nervo-

f) Sane ad intelligendam hujus, affectus & reliquorum omnium mirabilium symptomatum, effectuum, & phaenomenorum, causam, oportet, nos antea satis perspectum habere magni & aeternum mihi venerandi PRAECEPTORIS hac de re novum systema, quod in propria Dissertatione anno 1744. Gottingae in publicum edidit. Verum WILLSIUS in *Libr. de Anatom Cerebri* primus nifallor, & qui eum hac in resecutisunt, VIEVSSENIUS, & BIANCHI, &c. aliquam de modo, quo nervi circulationem sanguinis dirigunt, conjecturam proposuit. Sed imperfecta tamen omnis nostra mansisset cognitio, nisi Optimus PRAECEPTOR pro sua in Anatomicis praesertim experientia summa, plurima, quae hic pertinent, detexisset, eaque simul in hanc systematis elegantissimam formam redegisset. Ipse CARTESIUS Lib. de affectibus Animi, & MEYERVS nostris temporibus, hos effectus

nervorum cum vasis vinculo naturali, liquor omnis tenuis liberius & majori quantitate per ductus excretorios intestinorum in eorum cavum effunditur. Non semel hoc spectaculum magnus PRAECEPTOR in itineribus suis botanicis, quae per altissimos Helvetiae montes suscepit, aliis, quos secum duxerat, contingere observavit, cum ex eminentissimis rupibus subito oculos in remotissimam terrae planitiem dirigerent: cum aliis vertigo, aliis tremor ar-

tuum

fectus explicare conati sunt, de mechanismo autem, cuius ope omnes hi effectus in corpore nostro producuntur, nihil plane attinguntur. Ut sciamus igitur, quanam in re hoc sistema consistat, necesse erit, ut pauca adjiciam verba. Invenit ILLUST. & pie VENERANDVS HALLERVS in dissectionibus suis, quod plerisque in corpore locis arteriis nervi circumjaceant, ut instar laquei in animi affectibus validis eas, venasque constringere possint: sic arteria aorta, ut breviter dicam, a nervo recurrente octavi paris includitur: Uti etiam ab intercostali arteria subclavia, & brachialis praelertim a quinque illis plexibus brachiorum. In abdomen nullus fere truncus notabilis ex arteria aorta proficiscitur, quin simili semper ratione ab uno alterove plexu nervi intercostalis involvatur. In minoribus ramis arteriosis non dispar est ratio: arteria e. gr. meningea ex arteria maxillari interna oriunda, duobus illaqueatur ramis nervi temporalis superficialis, a ramo descendente tertii quinti paris provenientis, quorum superior trans arteriam dictam, inferior autem retro eam migrant ad truncum suum, cui sese inferunt. (vid. ILL. HALLERI Diff: de Nerv. imperio in arterias, §. 14. Clarissimum atque Eruditissimum Dominum MECKELIVM. Amicum meum suavissimum in Diff: sua Inaug. de quinto pare nervorum cerebri: WINSLOWI Exposit: Anatomic. Traite des nerfs: §. 58. 59.) Quo occurritus neglecta hactenus Anatomes nervorum excolitur, eo plura horum laqueorum specimina deteguntur. His igitur rite inter se consideratis, omnium phaenomenorum & symptomatum affectuum animi causam inspicere merito fas erit.

69.

DE CONSENSV PARTIVM CORPORIS HVMANI. 31

tuum, alii pene deliquium aliis, demum diarrhoea, alioquin in metu non rara molesta incumberet.

§. XLI.

Tristitia ratione suorum symptomatum a timore vix differt: franguntur enim cordis & reliquae corporis vires, quod in moerore lente fit & sensim, oriuntur diarrhoeae similes, appetitus diminuitur, quod illi optime experuntur, qui in conviviis tristi nuncio afficiuntur: pallor nascitur in facie a diminuto scilicet sanguinis motu in subcutanea cutis faciei vasa sanguifera: dispositiones fiunt in cachexiam, ob deficiens ventriculi in ingestis coquendis & subigendis robur: impeditur pariter sanguinis per pulmones transitus, quia cordis vires, quas a nervis uti reliqui etiam musculi omnes, acquirit, ita debilitantur, ut non nisi imbecilli vi superstite, munere suo in expellendo quippe accepto sanguine, fungantur, quae certa hic est ratio, cur in tristitia diu durante lachrymas fundamus, cum sanguis libere ex capite per venas jugulares in venas subclaviae fese evacuare non possit, quia & hae nimio jam sanguine turgent.

§. XLII.

Tristitiae oppositus affectus ira est, quam ob notabilia, & ad consensum nostrum pertinentia phaenomena, merito a nobis considerari hic oportet. Iram igitur appellamus eum animi affectum, qui a malo jam praefente primo in anima nostra excitatur, quod, mediante corpore subito avertere aut mutare conatur. Eam etiam ob causam fit, ut eo tempore corpus hominis itati robustissimum reddatur, praesertim autem musculi, qui statim in actionem.

## DISSERTATIO MEDICA

nem rapiuntur: cor ita incitatur, ut circulatio intra minutum primum sanguis ad viginti quinque pulsus aucta visa fuerit. Hinc tantum vulneratis imminent malum, si quo-cunque modo ad iram incitantur, incrudescunt enim iterum eorum vulnera, quae a fanatione & coalitu parum distabant. Tota etiam facies rubicunda apparet, quod clarum omnino signum est, sanguinem auctiori copia ad caput determinari. Haud mirum inde videri debet, quod in hominibus iratis tam frequentes fiant narium hoemorrhagiae, apoplexiae & subita nonnunquam mors. Sed ex principibus phaenomenis, quae ira in corpore nostro excitat, & illud sine dubio scitur valde dignum, quod in bile observatur. Scimus enim, bilis secretionem insigniter tunc augeri, cuius in brevi tempore tanta copia per ductum choledochum in intestinum duodenum effunditur, ut in ipsum ventriculum adscendat, ubi vomitu bilioso, nauseaque sese prodit. Imo, si per resorbentia ventriculi vasa copiosissima bilis ad sanguinem transfit, peculiaris inde nascitur febris, vulgari febrium acutarum aut intermittenti curandi methodo haud sanabilis. Praeter haec autem irae phaenomena, quae corporis sanitati adversa, & valde inimica esse solent, alia adhuc observantur, quorum ope pertinacissimi saepenumero morbi, nulla arte edombiles, penitus vieti fuerunt, paralyses v. gr. arthritides, podagra, aliaque a lenta debiliisque humorum circulatione oborta mala ira non raro subito sanavit.

## §. XLIII.

Terror, laetitia, gaudiumque nimium, multa cum ira communia habent, etsi horum affectuum prima causa plane diversa est. Terror enim nascitur, dum subito grave & improvisum malum animae nostrae offertur: unde effectus

effectus, qui hoc tempore vario modo in corpore nostro ludunt, vix, nisi vehementiori saltem gradu ab illis differunt, quos ira excitare solet. Incitatur hic etiam sanguinis circulatio, <sup>g)</sup> sed magis, quam in iratis, cor palpitat, ob immodicum sanguinis in cor influxum, quam ob causam lege consueta fese evacuare in arterias non potest. Salubris plerumque habetur hic animi affectus, maxime quidem pro iis, quibus lente in corpore humores circulantur. Sic in paralysi haud minus quam ira prodeesse visus est. Manus stissimum hujus rei exemplum nobis offert CRAEST Filius mutus, uti testatur antiquitas: qui cum in praelio cum Rege Patre suo contra Persarum victorem exercitum dimicaret, nudato gladio militem ad occidendum Patrem suum appropinquare vidit, quo facto, Filius summa incitatus ira & terrore, subito exclamavit, parce miles, Rex est, quem occidis. Multi homines terrore sanati sunt, qui per annos neque pedibus incedere, neque ex lecto surgere potuerunt; & ab incendiis, quae in vicinia oborta fuerant, non pauci artuum usum recuperaverunt. Omnia haec abunde demonstrant, maximam tunc temporis fieri spirituum ad cor & partes reliquas determinationem, & ab hac denique sanguinis, reliquorumque corporis humorum per omnia vasa incitatiorem circulationem, quae non raro certe funestos etiam eventus producit. Mirabilia hac de re exempla exstant apud PETITVM Chirurgum Parisinum celeberrimum. Vedit hominem, qui a solo aspectu nudatorum per inflictum vulnus manus suae tendinum, terrore subito extinctus est. Similes terroris effectus vidit ILLVST. & quoad vixerit, nunquam mihi fatis devenerandus

g) vid. WILL. de Cereb. pag. 177;

dus PRAECEPTOR in canibus, quos HAMBERGERI incredulitatis, aut ut recte loquar, ejus in Anatomicis praeferim ignorantiae, & nefarii ingenii causa toties dissecare coactus fuit, qui, dum vinculis adstringuntur, ne guttula quidem sanguinis effusa, & ne mucronem quidem cultri experti, prae solo metu non raro expirasse vii sunt. Legimus porro in Bibliis sacris Lib. 1. Samuelis Cap. 4. Eli Pontificis Judaeorum maximi funestam historiam, qui nonagesimo aetatis suae anno, cum ab hostibus Judaeorum exercitum profligatum esse audiret, captamque cum sacerdotibus aram, terrore extinctus est. Infantes debiles & teneri, quibus non raro ab ancillis, aliisque feminis spectra finguntur, tanto saepe covelluntur terrore, ut, vel ipsam aliquoties vitam amittant, aut epileptici per totum reliquum vitae tempus evadant, aut in alium gravem morbum incident, uti in apoplexiā, quae consueta sine dubio est causa mortis eorum, qui terrore vehementi occiduntur.

## §. XLIV.

Laetitia, gaudium, & amor, ratione effectum illorum, quos producunt, ab ira, nimioque terrore vix differunt. Cor sanguinem, quando praeter naturam frequenter constringitur, per totum corpus auctiori & incitationi celeritate distribuit. Hinc perspiratio libera, & expedita: hinc, ob majorem liquidi gastrici in ventriculum effusi, major appetitus: hinc in facie rubor, & apoplexia tandem lethalis, quam gaudium nimium producere visum est, cuius rei memorabile habemus exemplum in LEIBNIZII Nepte, quae Hannoverae vixit. Eam LEIBNIZIVS post mortem quam omnium bonorum suorum haeredem reliquit, quorum

899

rum inopinato aspectu, & cum praeterea in arca Viri thesaurum multorum millium imperialium inveniret, nimio gaudio & laetitia consternata, vitam amisiit. Caeso, ad Thrasymenum lacum ab HANNIBALE, cum c. FLAMINIO toto fere Romanorum exercitu, tanta ubique Romae nata est animorum perturbatio, ut matres, quae filios, quos occisos putabant, cum incolumes reciperent, p[ro]p[ter]e nimio gaudio exspiraverint, ut LIVIUS rem describit, <sup>b)</sup> Inde varios (ait) vultus digredientium ab nunciis cerneres, ut cuique aut laeta aut tristia nunciabantur, gratulantesque aut consolantes redeuntibus domos circumfusos. Feminarum praeципue & gaudia insignia erant & luctus. Unam in ipsa porta hospiti filio repente oblatam in conspectu ejus exspirasse ferunt, alteram cui mors filii falso nunciata erat, moestam sedentem domi ad primum conspectum redeun-  
tis filii gaudio nimio exanimatam,

## §. XLV.

Ad intelligendam igitur causam omnium horum phænomenorum & effectuum, nil aliud opus esse arbitror, quam, ut sciamus, ab auctiori spirituum per fibrillas nervas determinatione majus corpori robur conciliari, & e contrario ab impedita ea determinatione diminui. Priori sub statu omnes nervosi laquei arteriis circumducti aliquam eis inferunt vim, quoties laquei illi (not. f.) arterias strin-  
gunt, & transcurrentem sanguinem celerius movent, ut in  
ira

<sup>b)</sup> vid. T. LIVII PATAV. Histor. Roman. Tom. II. pag. 99.  
PLINII SECUNDI natural. hist. part. I. pag. 173. ubi in  
CHILON, SOPHOCLE, & DIONYSIO Siciliae tyranno simili-  
ta exempla leguntur.

ira, terrore, & laetitia fit. Altero autem sub statu, ubi vix aliqua spirituum determinatio superest, nullam ejusmodi vim nervi possident, unde priori oppositus effectus in circulatione sanguinis producitur, qualis in timore, tristitia, aliisque hujus generis animi affectibus observari solet, in quibus nulla vi nervorum superstite, soli cordi circulatio comittitur, & praeterea ipsum cor, fracta vi nervea, debilitatur. Falsum est, quod nonnullis de his phaenomenis proferre placuit; animam neimpe nostram immediate operari in cor, & arterias. Ex aliis enim observationibus fatis constat, animi effectus neque in cor, neque in arterias, sed unice in sistema nervosum agere? Quid enim sunt animi effectus, nisi modo aucti, modo autem imminuti spirituum per nervos motus, qui deinceps ea ratione, quam diximus, in circulatione sanguinis aliquas mutationes producunt. Haec ita se habere, evincit opii actio, quod minima copia, quae pulsus non mutat, non in sanguine, nam calidum est, & incitans motum, sed in nervoso systemate vim suam exercet, qua motus hysterici convulsivi subito tolluntur, quorum immanes effectus totum corpus senferat.

### §. XLVI.

Haec ex historia consensus vasorum adferre mihi licuit: multa autem hic nobis consideranda adhuc superfunt, quae tamen, perspectis enarratis omnibus, sponte sua nemini non intellectu unquam erunt difficilia. Multa etiam ex industria silentio hic mihi praeterire oportent, quam ob similitudinem quandam suarum partium ad ultimum consensum magis pertinere videantur.

### XLVII.

## DE CONSENSV PARTIVM CORPORIS HVMANI. 37

## §. XLVII.

Ex his nunc nemini mirum videri potest; cur tot morbi, tot effectus, & tam mirabilia phaenomena unice per vasorum corporis humani consensum oriri queant. Tanta enim ejus per universum corpus expansio est, ut nullum omnino viscus, nulla membrana, nullus musculus, nulla fere cerebri pars, &c. inveniri unquam possit, quin earum semper cum reliquis etiam partibus omnibus elegantissimam harmoniam detegeres, cuius ope cerebrum v. gr. cum imis consentit pedibus, cum brachiis, & vice-versa. b) Exemplum evidentissimum est in curationibus deliriorum, capitisque dolorum, febrium quarundam acutiarum, ubi maxima sanguinis copia in cerebrum pulsa, redire libere non potest: liberato autem a nimio sanguine cerebro, quod pediluvii, phoenigmis, & repetitis venae sectionibus, in pedibus institutis, commode obtineri potest, aeger continuo ad pristinam sanam mentem reducitur. Sed eur derivant pediluvia, phoenigmaque sanguinem in cerebro abundantem ad inferiores ejusmodi partes? Nempe pedum vasa omnia sensim ab aqua calida incipiunt incalefcere, se expandere, ut ab ea irritatione major spirituum & sanguinis simul ad irritatas pedis partes adfluxus fiat, quae ob dilatatam vasorum diametrum ad recipiendam majorem liquidorum copiam nunc longe quam antea capaciores sunt factae.

## §. XLVIII.

b) vid. in Illust. PRABCEPTORIS Dissert. Anatom. Select. Vol. II. VATERI Diff. de consensu partium corporis humani. Thes. V. de cordis cum toto corpore consensi. EUCHNERI Dissert. Inaug. Med. de consensu morborum capitidis & ventriculi. pag. 4. §. II.

S E C T I O. III.  
DE CONSENSV NERVORVM

§. XLVIII.

Vasorum historiae succedit nervorum amplissimus consensus, qui, ut mox videbimus, per totum corpus pariter late regnat, & cui magnum omnino cum vasibus est commercium, quod praesertim ex omnibus supra recentitatis animi affectibus patet, qui vix rite intelligi queunt, nisi certam prius nobis formaverimus ideam illorum, quae ad nervosum systema merito referri deberent.

§. XLIX.

Priusquam autem hujus consensus morbos, affectusque varios adgredi liceat, operaे præsum fore arbitror, ut de nervorum antea fabrica, proprietate, & spirituum in eos influxu pauca verba praemittamus.

§. L.

Quid nervus sit, omni tempore inter Auctores Veteres & Recentiores in lite fuit: alii enim ajunt, fasciculum esse fibrarum solidarum, secundum longitudinem sibi adcumbentium, & inter se ope telae cellulosaе tenerrimae conjunctarum: alii autem negant, sibras has solidas esse, quod multis verisimilibus & probabilissimis defendunt ratiociniis, & experimentis. Assumimus ergo nervos nihil aliud esse, quam fibras medullosoas cauas, sibi paralelas, telae cellulosaе ope inter se cohaerentes, piaque membra na collectas, & validissima membrana illa, quae vulgo ab Anatomicis dura mater appellatur, vel continua cum dura membrana valida cellulosa tela, in fasciculos quasi formatas. Ipsam cerebri medullosoam substantiam similibus ex fibris fabrefactam esse, Anatome non uno loco manifeste fatis

## DE CONSENSU PARTIVM CORPORIS HVMANI. 39

satis testatur; verum hoc, neque in junioribus corpusculis, quorum cerebra mollissimae adhuc & tenerrimae sunt substantiae, neque, in adultorum toto cerebro, demonstrari commode potest. In corpore vero calloso, corporibus striatis, atque thalamis opticis, solis oculis infinitae ejusmodi fibrae parallelae secundum longitudinem, varieque decurrentes, optime discerniqueunt, ne dicam de animalium quorundam cerebro, praesertim quidem piscium, quorum tota medullosa cerebri pars instar pectinis infinitas ejusmodi fibras refert, quae in nervos continuantur. Mirabilis sane cerebri horum piscium figura est, quae ex quatuor collibus componitur, quorum duo priores nervos olfactorios constituant, reliqui duo nervi opticis. Et ex hac medullosa cerebri parte nervos omnes in corpore componi, variorum nervorum origo, uti quarti, quinti, & septimi, satis omnino probat, g) quin in eo medullam spinalem ipsam, quae mera est continuatio medullae oblongatae, hujus esse fabrieae & substantiae, nemini non ignotum esse, puto. In animalibus enim, & cadaveribus hominum quibusdam morbis consumitorum per totam hujus medullae longitudinem similes fibrae longitudinales apparent, quae in hydrope e. gr. ubi aqua fese eis interponit, a se invicem diducuntur & separantur.

Fas erit, tot experimenta & toties a multis Clarissimis Viris iterum repetita, intacta hic relinquere. Neminem enim superesse credo, qui dubitaret, nervorum fibrillas cavas esse. Transit per has fibras liquidum aliquod  
 12. vid. ILLVST. PRAECEPTOREM in Comp. Physiol. pag.  
 197. §. 385.

invisibile, sub nomine spirituum animalium notum, quod omni corpori robur conciliat, & quod omnem corpore in motum producit. Nemo hucusque certam nobis formavit ideam de natura hujus liquidii, licet omnino multae hac de re natae sint sententiae & controversiae; nulla enim earum taata gaudet probabilitate, cui non possit non multum & quidem justissimo modo objici. b) Albuminosa, aquosa sanguinis pars qualis perspirabile sanctorianum, & in cerebri ventriculos, pectoris, atque abdominalis cavum exhalans liquidum est, ad liquidum nerveum translata est a BOERHAAVIO, & multi ante & post eum spiritus hujus naturae esse crediderunt. Verum parum probabile est, liquorem ejusmodi tam stupendos effectus producere. An materiem autem electricam, aut magneticam spiritus nostros componere, perinde dubito: Aerem multi spiritus efficere arbitrati sunt, quibus minus credo, quia aditus in corpus omni aeri penitus imperviū est & quia ejus in corpore praesentia non potest non omni tempore inimica & noxia valde esse. Quibusnam autem ex principiis elementalibus sanguinis mirabilis haec materies componatur, id certe debilem meam cognitionem fugit.

## §. LII.

Ab influxu incogniti hujus liquidii per nervos omnes in corpore motus, tam voluntarii quam involuntarii exci-

b) Testantur BELLINVS & MALPIGHIVS, sepe liquidum hoc nerveum ex extremitatibus dislectorum magnorum nervorum extillare, vidisse: sed hoc liquidum, revera non est liquidum, nerveum, neque extillat ex nervis, sed ex tenui illa nervearum fibrillarum, fasciculis interposita tela cellulosa, & in primis ex medullae spinalis facco ultimo, ubi simile, quale in ventriculus cerebri, liquidum colligitur.

DE CONSENSV PARTIVM CORPORIS HVMANI. 41

excitantur, & prout alicujus nervi irritatio vel major, aut minor est, secernitur vel major vel minor etiam ex communi sensorio spirituum animalium copia, ad locum praesertim irritatum: hinc idea doloris ab idea voluptatis non nisi gradu irritationis differt, si in trunco ex quo aliquot rami nervei cum aliis ramis ex diverso trunco oriundis, in hoc vel illo ganglio convenienter, aliqua irritatio excitatur, similis fere & in his ipsis alieni trunci unice connexis nervis effectus producitur, nihilo fecius, quam si prima irritatio in iis ipsis contigisset. Inde explicatur, cur in nephritide vomitus, stupor, sensusque molestus in crure & teste proximo oriatur? Cur in malo hysterico, a vitio uteri producto, hinc & inde in corpore tam mirabilia phaenomena excitentur? Cur in hernia incarcerateda vomitus? Cur affecto uno oculo, alter brevi etiam moleste afficiatur. &c.

§. LIII.

Quia de plerisque nephritidis symptomatibus, quae ad consensum praecipue nervorum pertinent, dicere hic mihi animus est, haud supervacaneum fore, arbitror, si generalem hujus morbi descriptionem praemiserimus.

§. LIV.

Nephritis in genere significat renum inflammationem, haerentem in ultimis arteriae renalis finibus, cuius origo multiplex & varia omnino esse potest. Ulcera aut vulnera e. gr. renibus inficta, talem fere semper inflammationem excitant: ita etiam a retropulsâ materie podagrâ: a nixu vehementi hominis, qui nimia pondera elevare conatur, ubi sanguis, dum anima retinetur, in uriniferos ductulos urgetur, renes facile inflammari solent. Ipsi cal-

F

culi

## DISSERTATIO MEDICA

culi saepenumero, praesertim autem asperi atque tuberosi, quando corpus quocunque modo valide exerceatur, simile renibus damnum inferunt. Hanc inflammationem comitatur more solito febris acuta, quae pro gradu inflammationis, ratione vehementiae differt. Ex affectibus, qui plerumque hic occurrunt, facile hoc malum adnoscitur; Laesa est diuresis, nam urina non nisi exigua copia redditur, quae simul aquosa, pellucida & absque ullo sedimento est. Hinc olim **HIPPOTRATI** ejusmodi urina aquosa & tenuis mala habita est, quoties spissa antea & crassa redita fuerat. Ad effectus porro nephritidis merito numerantur mirabiles illi motus spasmodici, qui sub inflammationis stadio in oesophago, ventriculo & intestinis statim percipiuntur. i)

## §. LV.

Ad demonstrandam veritatem propositae §. LIV. sententiae, oportet ostendere, renum nervos cum iis aliquod habere commercium, qui ventriculum, intestina, & testes adeunt. Renibus natura multos, sed parvos dedit nervos, quod ex anatomicis optime constat: hinc renes vix acutum, sed obtusum magis in vulneribus, exulcerationibus, & plerisque irritationibus dolorem excitant. Possunt enim saepenumero calculi, satis magni & asperi, diu sine adeo magno dolore vel incommodo in rene circumferri. Videbimus nunc primo, unde renum nervi proveniant, & secundo, quibusnam cum nervis & plexibus anastomoses habeant.

## §. LVI.

i) vid. **LOMMII** Observat. Medic. pag. 205. **ARETARVM** Lib. II. De Morb. Acutis. Cap. 9, litt. D. **BOERHAAV.** Aphorisa pag. 225.

## §. LVI.

70.

Renes nervos suos accipiunt, tam dextro quam sinistro in latere a plexibus illis magnis semilunaribus, quos trunci illi valde magni *splanchnici*, ex ipso nervo intercostali ex thoracae provenientes, constituunt. k) Hi trunci, priusquam superiorem lateralem musculi inferioris septi transversi partem perforant, a quinque diversis, quos nervus intercostalis in thorace producit, ram's componuntur. Plexus hi semilunares ante aortam positi, communicant inter se, & cum intermedio nervo stomachico posteriori, qui ante & circa originem arterie coeliacae plexum format. l) Plexus semilunares producunt ex convexitate sua multos satisque notabiles ramos, quorum aliqui conjunctim cum primis gangliis lumbalibus plexus renales constituunt, a quibus principes omnino nervi renum proveniunt, qui cum arteria & vena renali simul per sinum renalem in eorum substantiam distribuuntur. Ex hoc renali plexu multi oriuntur rami, qui partim ad testes, partim autem ad plexum mesentericum medium abeunt, qui magna ex parte ex his ramis efficitur. Notandum porro hic est, renes etiam cum ventriculo per nervorum anastomoses aliquod commercium habere; Non quod ventriculus immediate a plexu renali aliquos ramos accipiat, sed quod plexus coronarius stomachicus maximis ramis cum ganglio magno semilunari communicet, a quo nervi renales proveniunt. Ex his ipsis satis apparelt, cur inflammat

k) vid. *Venerandum atque Illust. PRAECEPTOREM* in Comp. Physiol. pag. 414. §. 750. nec non in Comment. Boerhaav. Tom. III. pag. 218. not. m.

l) *WINSLOWI Traite du Ba Ventre.* pag. 162. §. 399. §. 78-79.

mato uno alterove rene, cardialgiae, vomitusque statim subsequantur, & cur ad proximum testem dolor stuporque oriatur? summe certe probabile est, materiem illam spirituosa primò ad locum irritatum pervenisse, & abhinc per communicationes nervorum ad ventriculum & testes ivisse, quibus per se, ob summam nervorum copiam, maxima sensibilitas est.

### §. LVII.

In explicandis reliquis omnibus supra recensitis symptomatibus & morbis hujus consensu, nulla certe alia, quam hac nobis opus erit methodo. Non dispar enim est ratio vomitus e. gr. illius & cardialgiae, quae in affectibus hysterice plerumque incidit, ab illa, quae in nephritide excitari solet,

### §. LVIII.

Transimus nunc ad historiam affectuum hysterico-rum, quorum tanta vis est, ut vix alio in morbo amplitudo hujus consensus melius intelligi, & inspici possit, quam in passione hac hysterica. Omittimus autem omnia hujus morbi symptomata, quae ad vasorum praecipue consensum pertinent: dolorem exempli gratia capitis, quando menstruorum fluxus, aut ad parvam aliquam quantitatem diu imminutus, aut plane abolitus, & interceptus, passionem hysterica pro-duit. Nulla fere datur in corpore feminino notabilis pars, in qua malum hystericum non peculiares & constantes aliquos affectus excitaverit. Caput enim aequa afficitur ac collum, abdomen, & extremitates tam superiores quam inferiores. Quare, in exponenda horum omnium, vel saltem ad consensum nostrum pertinentium af-fectuum

fectuum ratione, maxima omnino opera danda est, ut quoad mihi ob exiguam & vix ullam in Praxi Medica cognitionem fas erit, aliquem hic ordinem servem. Recensendi igitur primo nobis erunt capitum affectus.

## §. LIX.

Praeter generalem illum capitum dolorem, & vasorum fine dubio consensum unice respicientem, aliae adhuc dolorum capitum species hic ab Auctòribus observari solent, quae plerumque unam alteram ve tantum capitum partem occupant, aut instar clavis infixa Aegrotæ caput moleste afficiunt, cum alternis tensivis & veris spasmodicis motibus, ad usque verticem sese exporrigentibus. Eodem hoc tempore alia symptomata observantur in interno capite, deliria nempe, ab ipsa cerebri medulloſa substantia irritata, & vellicata, producta: obliviones: animi affectus, ut: ira, tristitia, metusque, &c: ipsi oculi omnem saepenumero videndi facultatem amittunt, *m)* in vertiginem incident, lachrymasque fundunt; nares frequentissime sternuntur: in auribus aegrotæ molestum quandam sentiunt tinnitus aut campanarum quasi sonantium sonum, aut penitus, sed pro tempore, quo paroxysmus saevit, surdae redduntur.

*m)* Verum, haud miror tales in hysteris affectus, si *Illust. MORGAGNII*, allorumque magnorum Virorum mirabiles plane hacte re observationes perpendeo. Vedit *MORGAGNIUS* in faciem hysteris perfectas caecitates uno altero aliquoties superveniente oculo, a solo nimis de quo antea vehementissime querabantur, colico dolore. Vid. *MORGAG.* Epist. Anat. XVIII pag. 310. Ejusmodi casus etiam describit *MICHAEL ADOLPH* in Act. Nat. Cur. Vol. 2. Obs. 887. & *Nebelius* in Ephem. Nat. Cur. Dec. 3. 4. Observ. 81.

F 3

tur. Interne deliquia animi perfecta multarum horarum, & urinae suppressiones decem & duodecim dierum *Illiſt. HALLE* RVS vidit.

### §. LX.

Haud exigui etiam momenti sunt, quae, durante paroxysmo in organis respirationis atque deglutitionis accidere solent. Ajunt enim faeminae ejusmodi hystericae, adscendere sibi dolorem quandam obtusum a synchondrosis osium pubis secundum totam illam muscularorum rectorum abdominis directionem, instar adscendentis cuiusdam glomeris vel nodi versus os hyoides, aut paulo altius, ibique sublisteret, & in omni deglutitione difficultatem parere; hinc mulierculis hystericis, quae huic symptomati obnoxiae sunt, nescio; quae causa persuadet, uterum ad fauces ascendere. Tam vehemens saepe hic in faucibus dolor est, ut brevi suffocatione sese morituras esse, putent.

### §. LXI.

Neque immunes subsistunt ab hoc malo partes in pectori absconditae, & musculi, qui pectoris latera cingunt, respirationique inserviunt, tentantur enim ipsamvis, praesertim autem pectorales. Sanguis, ob constrictas ab irritatis nervis arterias pulmonales difficulter, lenteque per pulmones trajicitur, unde anxietates tunc temporis valde crudelles, & palpitaciones cordis nascuntur; imo non infrequens est, ut in animi deliquia incident, quem admodum jam monitum est, aut molesta tussi laborent.

### §. LXII.

In abdomen maxime afficiuntur ventriculus, renes, & aliqua etiam intestinalium pars. In ventriculo cardialgiae, vomitus-

vomitusque excitantur: in renibus ejusmodi saepe fit constrictio, ut urinae transitus in ureteres claudatur, saepe etiam, ut a nimia hic generata irritatione vomitus cieatur, uti in nephritide, quod SYDENHAMVS jamdudum observavit: moniti enim sunt a SYDENHAMO Medici, ne faeminas hystericas nephritide laborare crederent, quando de dolore circa regionem vertebrarum lumborum inter ultimam costam spuriam & os ilium saeviente, queruntur, & eadem fere ac in nephritide adsunt symptomata, vomitus v. g. cardialgia, & laesa diuresis. In intestinis borborygmi, tenesimi, dolores in intestino praesertim colo, saepe laborant obstruktione alvina satis pertinaci. Brachia atque pedes convulsivo quodam motu huc & illuc jactitant.

### §. LXIII.

Et haec consuetissima sunt symptomata & affectus, qui in passione hysteria a plerisque scriptoribus observati, & memoriae ita proditi sunt. Inquirenda & examinanda nunc erit horum omnium origo, quae maxima ex parte ab anastomosis nervorum, uti supra jam diximus, pendere videtur. Verum autem, uterus, fons omnium horum malorum, nullos ejusmodi habet nervos, qui immediate cum musculis v. gr. laryngis, aut cum ventriculo cohaerent, quos motibus spasmoidicis afficere posset, sed ex eodem tamen proveniunt truncus, a quo & uterus & reliquae partes omnes, quae in hoc malo afficiuntur, nervos suos accipiunt. Hic truncus, uti notissimum est, est nervus intercostalis, qui per totum thoracem, abdomen ad pelvem usque decurrit. Neque opus esse credo, ut de omnibus ramis & anastomosis, quas cum aliis nervis

nervis habet, multa hic verba faciam, sufficit autem, illos tantum considerasse ramos & anastomoses, quarum ope propositi morbi affectus rite intelligi queunt.

#### §. LXIV.

Prima hujus morbi causa, omniumque illorum affectionum, qui tunc temporis in remotissimis partibus excitantur, origo, in irritatione quadam nervorum uteri consistit, quae per communicationes nervorum ad omnes illas partes propagatur, quae ab hoc morbo patiuntur. Opportet igitur has partes ex uno eodemque trunco nervos suos accipere, ex quo uteri nervi proveniunt. Haec res facilis omnino demonstratu erit.

#### §. LXV.

Potest autem sensus illius irritationis ex infimo mesenterico plexu ad sequentem, & ex hoc ad supremum facile propagari, quia inter se varias satisque conspicuas anastomoses habent. Plexus autem mesentericus supremus non paucos etiam ramos mittit ad plexum renale, uti viciissim accipit a plexu stomachico, quod supra jam, ubi de vomitu nephriticorum dictum est, vidimus: patet igitur, irritationem illam hystericae, quae ad renales plexus adscendit, simili via ad ventriculum pervenire, qua pervenit irritatio nephritica.

#### §. LXVI.

Plexus semilunares constituant una cum ramulis quibusdam primorum nervorum lumborum plexus renales, quorum dexter cum plexu hepatico, sinister autem cum plexu splenico, & coronario stomachico ope ejusdem magni

ni ganglii communicat. Plexus semilunares, uti §. LVI. vidimus, originem suam debent ramis quibusdam nervi intercostalis, qui ex thorace in abdomen descendunt. Nulum ergo dubium est, quin per varias has anastomoses omnis illa in utero primo excitata irritatio ad has partes pervenire possit. Sed neque hic penitus subsistit sensus irritationis, ubi nervus intercostalis enarratos illos, plexus semilunares constituentes, ramos producit, nihil enim impedit, quin per reliquam etiam nervi intercostalis partem, variosque ejus ramos ad reliquas partes omnes excurrat, variosque illos in eis effectus producat.

### §. LXVIII.

In pectore pleraque fere partes a nervo intercostali nervos accipiunt. Cor enim magnam nervorum copiam habet, quorum principes merito hic enarrandi sunt, quia seminarum hystericalium animi deliquia ab his nervis unice oriiri videntur. Ganglion cervicale supremum, factum, ex trunco nervi intercostalis per foramen caroticum retro arteriam carotidem ad primam vertebram colli descendente, & ex primo, secundo, & tertio nervo cervicali, multos dat ramos & surculos pharyngi & laryngi, & musculis praesertim destinatos. qui ut omnino probabile est, sensum adscendentis illius nodi & glomeris in his musculis generant. Idem hoc ganglion primos cordis nervos generat, qui autem ramis & ab octavi paris pharyngeo plexu, & a nervis cervicis, & a trunco intercostali, secundum asperam arteriam per collum in pectus descendunt, secundum primo ad arteriam thyreoideam ganglion faciunt, ex quo denuo nervi orti alii cor adeunt absque medio, alii ganglion cervicale imum efficiunt, quod & ipsum insignes cordis nervos

G

nervos mittit, auctnm a cervicalibus imis. Hi nervi ad sedem dextram ductus arteriosi, retro aortam plexum faciunt, ex quo tres nervorum fasciculi cor adeunt, quorum anterior ad coronariam arteriam dextram, medius ad sinistram, postremus ad sinum sinistrum ramos suos mittunt. Hi cordis nervi varie augmentur a recurrente nervo, sibi multis modis innexo, a quo arteria aspera non paucas fibrillas accipit: unde tusses illae & affectus asthmatici, qui quidem irritatis, & mox dicendis pulmonum nervis, multum simul etiam debent.

#### §. LXVIII.

Sic ganglion cervicale medium generat interim trun-  
cum nervi intercostalis, qui haud procul abhinc in duos  
quasi dividitur ramos, quorum unus magis superficialis  
est, alter autem profundus. Ramus superficialis descen-  
dit versus arteriam subclaviam, ubi circumeuns circa ar-  
teriam, retro eam in ganglion iterum recipitur, quod a  
ramo profundo conficitur. Vedit praeterea CLARISSIMVS  
WINSLOWVS ramum, qui cum nervo recurrente anasto-  
mosi facta, propaginem generat, una cum octavi paris  
nervis in pulmonem distributis.

#### §. LXX.

Sed nervo intercostali aliquod etiam omnino com-  
merciū est cum nervis, qui exterias crani partes adeunt,  
quarum aliquot in malo hysterico afficiuntur, & cum ner-  
vis brachii, & pedum. Omnia enim paria nervorum cer-  
vicens manifestissime uno alterove ramo communicant cum  
nervo intercostali, de quibus autem nunc paulo fusius  
nobis dicendum erit.

#### §. LXXI.



70

DE CONSENSU PARTIVM CORPORIS HVMANI.

51

§. LXXI.

De primo, secundo, & tertio nervo cervicis ex §. LXXVIII. jani constat, quod maxima ex parte ganglion illud cervicale supremum simul cum trunco nervi intercostalis constituant. Horum ramorum quilibet sepe major est, quam ipse truncus intercostalis excerebro descendens. Ramus posterior primi nervi cervicis unice fere musculis rectis & obliquis capitis destinatus est.

§. LXII.

Nervus intercostalis communicat etiam, ut nemo ignorat, cum nervis brachii, quos quartum, quintum, sextum, & septimum collis par, primumque & alterum dorsi, constituunt: quam ob rem facile intelligi potest, cur in malo hysterico brachia toties convulsivo motu agitantur, uti in praecedentibus annotatum est. Ob similem etiam anastomosis nervi intercostalis cum duobus ultimis nervis lumborum, & cum nervis Sacris, qui multum omnino conferunt, ad constituendum maximum illum nervum sciaticum, pedes spasmis corripiuntur.

§. LXXIII.

Propositis, quae de malo hysterico ratione consensus nervorum dicenda erant, ad alium affectum transimus, qui in hominibus hernia incarcerata laborantibus, observatu non adeo infrequens est: contingit enim, ut, elabsa aliqua intestinorum praecipue tenuum parte, aut in scrotum per anulum abdominalem, aut ad inguina, haud diu post id infortunium, vomitus quippe ingentes, & steroris ejectiones per os succedant.

G 2

LXXV.

## §. LXXIV.

Triplex hujus vomitus causa est, quam nemo nota optime intelligit: alia fit a tractione quadam membranarum, quae adeo ad continuationem membranarum pertinet: alia, si elabsis in scrotum intestinis multum atque indurati inest stercoris, quod naturali via discedere haud potest, ob constrictum illorum exitum & mutatum naturalem situm: tertia denique causa ad consensum nervorum proprie pertinere videtur, qui plerumque ob excitatam in inclusa intestinorum parte inflammationem fit, qua nervi partis inclusae aliquam irritationem patiuntur, quae ut supra vidimus, per communicationes nervorum ad usque ventriculum & oesophagum propagatur. Oportet igitur, ut in hunc consensum inquiramus, ne incerti hic aliquid remaneat.

## §. LXXV.

Intestina tentia nervos suos accipiunt a plexu praesertim mesenterico supremo, qui arteriae mesentericae superiori circumjacet, & cum ea magna omnino ex parte ad intestinum colon, & intestina tenuia abit, quibus, & glandulis mesentericis, infinitos certe ramos largitur, a quibus summa illa intestinorum sensibilitas pendet: a purgantibus enim vix aliquid patiuntur linguae atque faucium nervi, sed intestina ne quidem mercurium dulcem diu sustinent, qui linguae papillas nerveas grata quadam dulcedine afficit. WILLISIVS hunc plexum mesentericum supremum ganglion vocat solare, a similitudine quadam radiorum quos prodeentes ex hoc plexu rami referunt. Proveniunt ab eo plexu & renali aliqui surculi, qui ad originem

## DE CONSENSU PARTIVM CORPORS HUMANI.

ginem mesenterii descendunt, ad arteriam mesentericam inferiorem, ubi medium producunt plexum mesentericum, cui truncus ipse intercostalis nonnullos ramos addit. Reliqua, quae hic occurunt, dictis §. LVI. simillima sunt

## §. LXXVI.

Neque magis specialiores quosdam hic partium quārundam ope nervorum inter se consensus omittere licet, quos a WILLISIO praecipue annotatos video. Ita <sup>m)</sup> ventriculus cum aspera arteria & larynge consentit, quod ex tūsi illa scitur, quae unice a vitiato, magna que pituitae quantitate obesse ventriculo, saepe producitur: sic ventriculo aliquis etiam est consensus cum corde: & uni oculo cum altero <sup>n).</sup>

## §. LXXVII.

Ventriculus consentit cum arteria aspera, & larynge, nec non cum corde ipso, ope nervi vagi, sive octavi paris, quod ex tribus diversis truncis componitur. Primus accessoriū esse videtur, oriturque a septem ramulis nervorum cervicis, qui in unum quasi truncum concurrunt. Is truncus in cerebrum adscendit, ubi innumeri ex medulla oblongata prodeentes ramuli ei inseruntur, quibus auctus, exit de cranio cum octavo pare, & musculum adit trapezium, cui unice destinatus est. Secundus octavi paris truncus est nervus pharyngeus, qui pharyngem praeferit & linguae basin adit: [anastomoses etiam

<sup>m)</sup> vid. WILLIS. de Cerebro. pag. 178.

<sup>n)</sup> ILLVST. atque aeterrum venerandum FRAECEPTOREM in Comp. Physiol. pag. 300. §. 555.

etiam quasdam habet cum nervis molibus intercostalis. Tertius denique truncus omnium est maximus, & de quo praecipue dicendi hic nobis erit scopus, truncus nempe octavi paris. Primi hujus nervi rami veniunt ad laryngem, ubi cum nervo recurrente varie communicant: descendit autem truncus, datis his ramis, cum venâ jugulari in thoracis cavum, generatque ibi locorum, ubi bronchia pulmones subeunt, nervum recurrentem, qui sinistro in latere circa arteriam aortam sursum flectitur, in dextro autem circa arteriam subclaviam, unde nomen nervi recurrentis natum est. Is recurrentis nervus, facta hac in utroque latere mirabili flexura, aliquod ad cor ramos mittit, adscenditque secundum oesophagum versus laryngem, ubi cum nervis laryngeis superioribus varias anastomoses habet; in toto hoc autem itinere non paucos certe oesophago dat ramos. Pulmonum plexus notissimos ipse truncus efficit; haud magni sunt, quod natura horum viscerum optime demonstrat, nam vix aliquem exulcerati in phtisicis pulmones dolorem excitant, si anxietates illas summas excipis, quas transeuns per compressa pulmonis vasa sanguis parit. Sed uterque tandem plexus mutatur in plexus alios, quorum sinistri oesophageus anterior & minor vocatur, dexter major, oesophageus posterior: prior descendit cum oesophago ad anteriorem ventrieuli superficiem, ubi in multos ramos & surculos dividitur, qui causa sunt summae sinistri orificii sensibilitatis, plexus posterior per totam curvaturam minorem ventriculi expanditur, variosque dat ramos hepatico, cum ramis ganglii magni hepar adeuntibus, commixtos.

§. LXXVIII.

## §. LXXVIII.

Ex istis nunc ratio patet, cur a vitiato ventriculo tussis, & vice versa, a tussi vomitus & cardialgiae toties nascantur, uti in malo hypochondriaco inveterato saepe fit, dum crudi & haud facile digerendi cibi debili ventriculo ingeruntur.

## §. LXXVIIII.

Quomodo autem oculi inter se consentiant, ut affecto uno oculo, alter etiam male afficiatur, nunc inquirendum. Nemo sine dubio ignorat, hunc mirabilem consensum latere in conjunctione illa notissima thalamorum opticorum, qui magna certe ex parte nervos opticos, tanquam principes oculorum nervos, generant. Si nunc in uno alterove oculo vel a causis quibusdam externis, vel internis etiam, notabilis aliqua irritatio excitatur, in utroque statim oculo unus fere idemque producitur effectus, quia propagato sensu irritationis illius ad irritati nervi originem, altera priori adnexa, similem irritationem percipit; hinc per utrumque aequali vi spiritus ad oculos determinantur. o)

## §. LXXX.

Infinita similium observationum & symptomatum exempla enarranda nobis adhuc restant, sed, cum pleraque eorum ab aliis jam exposta sint, haud opus erit, ut speciatim omnia iterum proponam. Digna erunt perspectu, varia illa symptomata, quae ope anastomosium quarundam nervi duri cum nervis maxillae tam superioris quam inferioris & ramis quibusdam nervi intercostalis saepe producuntur.

## §. LXXXI.

o) vid. l' Anatom. d' Heister &c. pag. 792.

## §. LXXXI.

Quando parietes calce obducti unguibus vel corpore aliquo scidente raduntur, ingratus aliquis producitur sonus, qui dentes moleste afficit: aliis hominibus similis in dentibus stridor nascitur, quando charta, aut ligna dura raduntur. Omnia haec sola fieri communicatione nervi duri cum ramis maxillaribus & dentalibus nervi quinti, docet Anatome. Truncus nervi duri, egrediens ex cerebro per proprium foramen, quod stylomastoideum vulgo dicunt, deinde, perforata glandula parotide, ad angulum maxillae inferioris in conspectum venit, ubi in duos ramos dividitur, quorum unus *inferior* est, alter autem *superior*. Hic major duorum est, atque in septem aut octo plerumque ramos distribuitur, qui fere omnes in lateralem capitis partem ad faciem excurrunt, & speciem plexus formant, qui ab Anatomicis Gallis *pes anserinus* appellatur. Ab hoc nunc superiori ramo veniunt duo vel tres circiter surculi, qui supra tendineam musculi temporalis partem ante venam temporalem cum nervo maxillari communicant; & ab ejusdem aliis ramis insignes surculi producuntur, qui transversim faciem perrepunt, & plexum cum infraorbitali ramo nervi maxillaris superioris insignem faciunt. p) Idem ramus superior surculos habet, qui cum nervi tertii quinti ramo buccinatorio uniuntur. Inferior nervi duri ramus aequa ac superior variis in locis cum nervis maxillae inferioris & cervicalis communicat: distribuitur enim ad angulum maxillae inferioris in multos ramos, qui partim ad faciem & partes vicinas, partim autem ad collum distribuuntur, inter quos

p) vid. WINSLOW. Traite des Nerfs. Tom. III. pag. 235. 237.  
Edit. Paris.

quos hic praecipue memorabilis est, qui ad marginem maxillae inferioris longo itinere versus musculum labii inferioris migrat, quo perforato, cum nervo ex maxillae inferioris foramine prodeunte, communicat.

## §. LXXXII.

De specialiori & magis composito nervorum inter se consensu, cuius ope multi Clar. Viri mirabiles certe effectus & symptomata explicant, nihil hic dicam: imo, neque de hoc nervorum consensu aliquid attingam, qui a sola fit cohaesione nervorum, mediante interposita tenerima tela cellulosa, quum vix aliquid auctoritatis vel certi eis insit.

## §. LXXXIII.

Omnia haec recensita symptomata graviora fieri, & sensim alia producere facile queunt, quoties cunque irritatio ad certum quandam gradum augetur: si intestina, verbi gratia, infantum ab acescente lacte materno irritantur, non raro eodem tempore in toto corpore convulsivi motus excitantur. Sensus igitur hujus irritationis, si ad nervorum originem pervenerit, totam fere medullosam cerebri substantiam in consensum rapit, ex qua universalis irritatione ad omnes partes major spirituum nascitur determinatio. Hoc fieri, manifeste apparet in motu musculari, qui citra animae voluntatem in omnibus fere corporis musculis maximus in convulsione fit: flexores vehementius & citius, quam in statu naturali contrahuntur, & idem in extensoribus contingit. Ab ejusmodi mutua quasi muscularum contractione & ex-

H

ten-

tensione pendet convulsionum idea. Variae sunt causae, quarum ope convulsivi in corpore motus excitari queunt: vulnera exempli gratia valde magna, & productae per ea hoemorhagiae notabiles, vel quaecunque liquidorum evacuationes nimiae: nervi ex parte tantum dissecti: & generatim nervorum irritationes summae.

#### §. LXXXIV.

Vidimus haec tenus irritati nervi effectus, variaque, ob communicationes nervorum inter se, symptomata: sed fas erit, ut oppositum etiam nervorum hic consideremus statum, qui fit, si aliqua cerebri pars, vel nervorum origines, aut truncus aliquis ita comprimitur, ut per eum truncum nulla amplius spirituum fiat determinatio ad partes destinatas. Eiusmodi statum observamus in apoplexia, morbisque omnibus, ab ea oriundis.

#### §. LXXXV.

Apoplexia in genere considerata, est sensium & functionum plerarumque partium corporis humani subita quae-dam abolitio, q) instar hominis summe ebrii & fatigati, dum in profundissimo jacet somno: Plerumque tamen superficies manet cordis & respirationis officium; manifesto satis argumento, nihil pati cordis nervos, licet effusus in cerebri ventriculos sanguis ipsum cerebellum premat, a quo multi CELEBERRIMI VIRI cordis nervos venire crediderunt.

#### §. LXXXVI.

Producta ab effuso in cerebri ventriculos sanguine apoplexia, haud longo ab ea calamitate tempore aliis morbis

q) vid. BOEKRAA v. Aphoris. pag. 232. §. 1008.

bis originem praebet; minime enim rarum est, ut, sanna apoplexia, hi vel illi musculi paralytici evadant. Hinc, si omnes unius lateris musculi tali laborant paralysi, hemiplegia vulgo dicitur: *paraplegia* autem, quando omnes partes, cervici suppositae, ita affectae sunt. Sed, quae-rena certe erit in coniunctione & communicatione omnium cerebri ventriculorum, & libera ex ultimo in medullam spinalem via per quam sanguis effusus ad origines nervorum spinalium descendit, quas suo pondere ita pemit, ut per eas liquidi nervei secretio penitus, vel ex parte saltem aboleatur. Sanguinem hoc modo ex ventriculo quartto ad medullam spinalem facile descendere posse, docet spinae bifidae in fetibus origo.

### §. LXXXVII.

Priusquam autem apoplexiae effectus considerare nobis licet, oportet, ut antea rite intelligamus ipsas apoplexiae ab effuso sanguine natae causas & rationes: an forte ventriculis aliquid inest, quod, si ab effuso comprimeretur sanguine, tales in toto fere corpore effectus producere posset, nempe abolitionem sensuum & functionum omnium saepe partium, excepto corde, & aliqua pulmonum parte, cujus integritas a ramis trunci nervi intercostalis pendet.

### §. LXXXVIII.

In anteriori ventriculorum anteriorum parte duo eminent colliculi, r) qui ab anatomicis *corpora striata* vocantur.

r) vid. VENERANDVM atque ILLVST. PRAECEPTOREM in Comp. Phys. pag. 181. §. 362. &c.

cantur, quorum substantia externa corticalis est, mollissima pia matre obducta, interna autem media pars medullaris & corticalis simul est, atque in strias distinctas disposita. VIEVSSENIVS tria diversis nominibus ejusmodi corpora descripsit, sed unicum est utrumque, cujus diversas regiones VIR CLAR. diversis nominibus insignivit. Haec corpora principem atque nobilissimam totius cerebri partem esse, docent observationes practicae: nam abscessus, hydatides, sanguis effusus, vel quidquid aliquam in corpora haec striata pressionem axeret, gravissima in toto corpore symptomata producit, uti epilepsiam, apoplexiā, & mortem saepe ipsam. Haud miror autem, tanta exinde mala oriri, quando considero, ab his corporibus maximam crurum cerebri partem oriri.

#### §. LXXXIX.

In posteriori vel media horum ventriculorum parte alii duo apparent colliculi, *thalami* nervorum opticorum vulgo appellati. Externa eorum substantia medullaris est, interna autem striis corticalibus mixta, quae melius in animalibus quibusdam, uti in vitulo, quam in hominibus conspici queunt. Hi thalami, dum retrorsum eunt, cerebri crura ingrediuntur, quae una cum corporibus striatis nervos opticos generant. Inter thalamos reperitur stria medullosa, *geminum centrum* a VIEVSSENIO nominata, quod centrum a dextro in sinistrum latus transversali quasi nero conjungitur, quam cohaesionem Anatomici vocant commissuram cerebri anteriorem. Intervallo illo, quod est inter thalamos nervorum opticorum, & corpora striata sedet *septum lucidum*, quod tenerrima est lamina medullaris, pia matre obducta: ad anteriorem hujus septi finem adscen-

DE CONSENSV PARTIVM CORPORAIS HVMANI. 6r

adscendunt plexus choroidei, ubi in unum coeunt, adscendunt inquam cum thalamis opticis ex basi cranii, ubi originem suam ducunt a plicata pia matre, numerosis vasibus rubris picta; arteriolae ejus inferiores a carotide veniunt & vertebrali: venae confluunt in venam Galeni. Exhalat perpetuo ex his plexibus vapor aliquis, ventriculos replens, qui mox autem per venas reforbentes reforberi solet, alias idem hic contingeret, ac in pectore & abdomine, hydrops scilicet nasceretur, a quo corpora striata facile comprimerentur.

§. XC.

In ventriculo tertio itidem variae reperiuntur eminentiae, & colliculi: intet quos illi notatu maxime digni sunt, qui a Veteribus *nates testesque* vocabantur, nunc autem a WINSLOWIO eminentiae anteriores & posteriores dicuntur. Hae eminentiae ab intermedia illa stria crassa medullari dextrum & sinistrum cerebri lobum posteriorem inter se conjugente, in quatuor hos colliculos figuratae sunt: anteriores *nates*, & posteriores *testes* vocantur: anteriores partim corticales & partim medullares sunt. Hae quatuor eminentiae inter se efficiunt intervallum, quod glandula pinealis replet, s) cui plexus choroideus medius super expansus est.

§. XCI.

Sanguis ex ventriculo tertio in quartum immissus, non pauca & hic etiam nocere potest, quando pons V<sup>a</sup>rolii

s) Glandula haec pinealis non raro ossea, lapideaque reperitur, & argumentum latis firmum contra CARTESIVM & reliquos praebet, qui hanc glandulam animae nostrae receptaculum esse crediderunt.

H 3

rolii & cerebellum aliquam injuriam patitur. Negat equidem VIEVSENIVS, sanguinem aut aliud liquidum ex tertio ventriculo ad quartum venire, ob valvulam nempe illam cerebelli, qui in anteriori & superiori hujus ventriculi parte reperitur. Verum ea valvula ventriculum quartum non excludit ab aquaeductu, sed unice posterius a cranii camera separat. Naturalis autem via ex ventriculo tertio in quartum, est aquaeductus SYLVII de le BOE: hoc nomen non male certe a similitudine quadam canalium illorum, qui absconditi sub terra aquam ad destinata loca vehunt, desumtum est; descendit enim aquaeductus ille sub natibus in calatum, sive posteriorem medullae spinalis sulcum, instar aquaeductus cujusdam veri, dum in locum suum terminatur.

### §. XCII.

Quotiescunque igitur ab effuso in hos ventriculos sanguine, vel a nimia exhalantis aquae copia, hae partes aut omnes, aut earum principes ita comprimuntur, ut earum destruatur integritas, a qua omnium quinque tam externorum, quam internorum, actio pendet, apoplexia nascitur. Quando vero sanguis ex ventriculo quarro in medullam spinalem sensim descendit, disparent mox pleraque apoplexiae symptomata, quibus alia, & saepe subito funesta superveniunt: paraplegia exempli gratia, hemiplegia, aut paralyseis hujus illiusve tantum membra, vel musculi.

### §. XCIII.

De paraplegia in genere notandum est, resolvi in ea maximam tunc temporis partium illarum partem, quae a ramis nervorum medullae spinalis liquidum nerveum accipiunt,

DE CONSENSU PARTIVM CORPORIS HVMANI. 63

piunt, ne dicam de iis partibus, quibus nulli ali sunt nervi, quam ii, qui ex medulla spinali veniunt: comprimuntur igitur hic plerique ex utroque medullae spinalis latere orundi nervi. In hemiplegia autem destructio unitus tantum fit lateris, quia sine dubio illius tantum lateris nervi a descendente sanguine premuntur, remanente interim altero incolumi.

§. XCIV.

In summo illi vitae periculo versantur, quibus, uti olim jam HIPPOCRATES observavit, post apoplexiā paraplegia contingit. Cur haec autem tantopere timenda sit, quivis optime sane intelliget, dummodo sibi animo revo-  
caverit, cordis principes nervos non a cerebro, sed ex ipsa medulla spinali proficiunt, & his compressis, in corde non nisi imbecillem, liquida sua expellendi, vim re-  
manere, qualem paucissimi, uti supra abunde vidimus, o-  
ctavi paris nervuli, & primus ille a capite nervi interco-  
stalis perveniens trunculus, praestare possunt.

§. XCV.

In paraplegia multum non solum externa membra patiuntur, musculique pectus & abdomen cingentes, sed & interna pleraque fere viscera, quae a trunco intercostali ramos accipiunt. Ratio ex praecedentibus satis patet: trun-  
cus enim intercostalis maxima ex parte ex ramis nervorum spinalium efficitur, quorum quilibet, excepto tamen pare tertio, quarto & quinto, ramo suo anteriori nervum intercostalem adit. Non repeto autem quae de hoc nervo supra passim exposita sunt.

§. CXV.

## §. XCVI.

De spina bifida ejusque origine, quae nemini, perspectis iis, quae de apoplexia, hujusque effectibus dicta sunt, obscura videri potest, haud multa enarranda mihi super sunt. Hoc malum non infrequens est in infantibus, quibus in capite hydrocephalus a quacunque causa natus est. In fetibus non raro ejusmodi hydrocephalus sive congeries aquae illius exhalantis (§. LXXXVI.) in ipso utero nascitur, quae cum temporis progressu cerebro circumpositas membranas, ipsaque nullis adhuc futuris inter se connexa ossa ita sensim distendit, ut hiatum amplum efficiant, ex quo dilatatae membranae cerebri instar facci vel aqua repletæ vesicae, supra faciem, vel capitinis latera propendent. Quando haec aqua in cerebri ventriculos effunditur, brevi dicta (§. LXXXVII.) via in medullam spinalm pervenit, & ubi dura mater ad os sacrum cum reliquis simul membranis in speciem facci cuiusdam formatur, sensim sensimque ad tantam augetur copiam, ut proprio tandem pondere & nixu ultimarum vertebrarum lumborum corpora, quae eo tempore nondum tanta ac in adultis duritie gaudent, distendat, atque rumpat. t.)

## §. XCVII.

Finito denique & hoc nervorum amplissimo certe consensu, de quo non nisi generalia, & quae scitu nobis quam maxime necessaria erant, proferre licuit, ad sequentem & priori ex parte analogum consensum transfire omnino fas erit, qui in continuatione latet membranarum & cohaesione inter se.

## SECTIO

t) vid. TULPII Observat. Medic. lib. III, pag. 235.

SECTIO IV.  
DE CONSENSV MEMBRANARVM.

§. XCVIII.

Generalis hujus consensus idea pendet ab irritatione membranarum, quae ob cohaesionem mutuam in parte non irritata similes ac in irritata effectus producit.

§. XCIX.

Ut clariora & certiora haec omnia videantur, oportet proponere symptomata ab ejusmodi irritatione excita-  
ta. Ita pruritus in glande penis a latente in vesica urinaria calculo vel materie tophacea excitatus, sine du-  
bio fit per continuationem membranarum vesicae cum membranis urethrae, <sup>u)</sup> quae ad penis glandem continuantur. Cum autem vesica urinaria ex variis, uti notissimum est, membranis, & interpositis sibi tunicis cellulosis con-  
stet, necesse erit, ut inquiramus, quaenam ex his membra-  
nis & telis, cum urethra continua sit.

§. C.

Fabrica vesicae urinariae sane haud multum differt ab intestinorum aut ventriculi fabrica. Primum involucrum praefat peritonaeum, quod apici & anteriori vesicae parti ad conjunctionem ossium pubis infidet; non tota autem anterior pars peritonaeo tegitur, sed dimidiā circiter tegit cellulosa, quae est inter vesicae partem anteriorem & faciem internam ossium pubis. Haec igitur tantilla peri-  
tonaei

<sup>u)</sup> vid. magnum atque aeternum mihi Venerandum Praeceptorem in Comp. Physiol. pag. 300, §. DLV.

tonae pars supremam vesicae partem tegens, minime pro involucro habenda est: verum sub hac cellulosa prima jacet musculosa tunica, ex multis, varieque huc & illuc tendentibus stratis & fasciculis composita, qui in nullum perfectum ordinem redigi aut disponi queunt. Princeps, maximumque harum fibrarum stratum incipit a prostatae glandulae facie anteriori, a qua per totam vesicae partem anteriorem ad usque urachi originem adscendit: inde per posteriorem vesicae partem descendit ad prostatae faciem posteriorem. Hae fibrae considerandae sunt, tanquam vesicae urinariae musculus depressor, quem admodum COWPERVS eas ita nominavit. v) Praeter has fibras autem, aliae adhuc observantur, quae ad omnes fere partes excurrunt absque ullo ordine. Earum multae a prioribus veniunt, sed haud longum per intervallum coniunctim migrant, partim etiam a prostatae facie anterori supra vesicam ad faciem posteriorem procedunt, ubi a priori teguntur strato. Nulla ex his fibris continuatur in urethram, neque cellulosa illa huic membranae circumposita, aut sequens inflabilis, quae est inter tunicam musculosam & proximam nerveam: Nervea autem & villosae similis intima membrana quibus vesica non caret, utique in urethram continuatur, est que vera continuatio cutis & epidermidis, ex quibus tota urethra manifeste componitur. x) Nullum ergo superest dubium, quin pruritus ille per solam continuationem tunicae nerveae vesicae, & villosae, ad glandem penis propagetur.

C.

v) vid. Magnum Praeceptorem in Comp. Phys. pag. 420.

x) Winslow. Eposit. Anat. Traite du bas-ventre pag. 222. §. 531.  
ubi his verbis utitur. Il n'est d'abord qu'un canal membraneux, produit par l'ouverture antérieure de la vessie à l'endroit, qu'on appelle communément le col de la vessie &c.

## §. Cl.

Similem ob causam excitatur in naribus infantum pruritus a vermis in intestinorum cavo haerentibus. Narium cavitatem investiens membrana ab Auctore schneideriana dicta, manifestissime per os, fauces, oesophagum, totumque intestinorum tractum ad anum usque continuatur, & in toto hoc itinere nusquam interrupta continuatione nomen ejus mutatur. In intestinis & ventriculo villosa appellatur: in faucibus & ore simpliciter membrana oris: & in naribus Schneideriana. Non semel examinavit Ill. WINSLOWVS y) hujus membranae structuram, quam non ubique aqualem invenit: ad maginem cavitatum narium vidit, eam cuti & epidermidie faciei continuam esse, sed paulo interius pulposorem, porosorem, mollioremque fieri: ope hujus membranae efficitur magna veli mobilis palati pars, ibique etiam in membranam fauicium continuatur. Hoc uti verum est, nihil de reliquis dubitandum super est: oesophagi enim interna membrana, quae ob continuationem villosae tunicae ventriculi & intestinorum villosa etiam nominari solet, ejusdem fere est fabricae & structurae, quae in faucibus est, pulposa nempe, glabra, & absque villis. Oportet igitur, & ventriculum hanc membranam accipere, cum ventriculus vera continuatio sit, quod in canibus praesertim appetit. Hujus villosae tunicae integra aliquoties frusta ob deglutitos fervidos potus aut cibos secessisse visa sunt, z) unde ingens excitatur dolor, quod

y) Traité de la Tête §. 336.

z) Datur in America peculiare quoddam genus animalium, in quibus quotannis tota haec tunica villosa per alvum ejicitur, quod *D. de la PEYRONIE* in Catto moschato americano observavit

quod in cute externa etiam fieri solet, quando epidermis quocunque modo destruitur. similia saepe contingunt in diarrhoeis, ut ex practicis observationibus satis constat.

§. CII.

**O**b continuationem hujus membranae per nares, fauces, oesophagum, atque intestina omnia, facilia explicatur, quomodo nempe a diarrhoeis surditates saepenumero tollantur. Nihil ergo ad demonstrandam hujus rei veritatem opus esse credo, quam ut demonstremus, tubae Eustachianae membranam internam a faucium spongiosa membrana oriri, vel cum hac saltet continuam esse.

§. CIII.

Nemo ignorat, tubam Eustachianam, male a multis Auctoribus pro FALLOPII aquaeductu habitam, ejusmodi canalem esse, cuius pars una intra cranium, altera autem extra cranium ponatur. Prior pars irregularem quandam canalem representat, qui orificio suo in tympani cavitatem hiat, cui etiam perfecte adaptatur: pars altera non male figuram tubae mucicæ, unde nomen traxisse videtur, exprimit, libera enim est haec pars, & in faucium cavitatem prominet, ubi membranam suam a faucibus recipit, quae ad alterum orificium usque extenditur. Haec membrana priori simillima est, porosa scilicet, multis cryptis & excretoriis ductulis plena, ex quibus mucus aliquis secernitur, qui tympani cavitatem, ipsumque tympanum oblitus, ne aer per fauces in hanc tubam veniens, tympano aliquid damni inferat: nullum enim plane dubium est, quin & per hanc etiam viam aer externus ad tympanum perveniat, nam, aperto ore, auditus acui potest; vicissim quando

## DE CONSENSV PARTIVM CORPORIS HVMANI. 69

quando nimia fit aeris per fauces inspiratio, tota fere audiendi facultas perit, quod in oscitationibus praesertim observamus, id sit, quando aer ea copia per orificium tubae anterius subit, ut aeri per meatus auditorios advenienti resistat, & contrarios in aure fluctus excitet.

## §. CIV.

Si mucus ille, qui ex cryptis exstilat, quos diximus, in tympani & tubae cavitatem, tanta augetur copia, ut ab ea aeris in tympano tremores suffocentur, species quaedam surditatis nascitur: hinc, si in ventriculi & intestinorum tunica villosa, quae tubae Eustachianae membranae continua est, tanta irritatio excitatur, quanta sine dubio in diarrhoeis adesse oportet, omnis sanguis, ejusque tenuiora liquida ad irritata excretoria intestinorum vasa majori determinant celeritate, & copia, quae adhaerentem villosae tunicae mucum naturalem abstergit, & per anum educit. Sed, quia eadem haec villosa tunica in tubam Eustachianam continuatur, & irritationis sensus in eam facilime propagari potest, necesse est, ut & ibi similis effectus producatur. Diluitur ergo ab adveniente liquido tenui per ductulos illos mucus inhaerens inspissatus, qui excerni antea haud potuit. a)

## §. CV.

In tractatione consensus vasorum & nervorum, ubi de causis vomitus in hernia in carcerata contingentis, a liquid

a) Ait HIPPOCRATES Coac. Praenot. Sect. II. pag. 147. κωματάδες κωπιώδες, κεκωφωμένες, κοιλίης, κατέρρωγύης ἐγιθρὰ, διελθόντα περιστούσιν, ὥφελέν.

liquid jam dictum est, principem hujus phænomeni causam omisimus, quae ad hunc unice consensum membranarum pertinet.

### §. CVI.

Omnia intestina, dum in statu naturali sunt, totum abdominis cavum exactissime ubique replent. Id sit, partim ab aequali musculorum abdominis resistentia: partim autem a variis illis peritonaei productionibus, quarum ope pleraque intestina firmantrur. Elapsa autem per dilatatum quocunque modo anulum abdominalem, aut viam aliam, aliqua intestinorum tenuium parte, extra peritonei cavitatem, mox aliquod ibi locorum relinquitur spatium, quod elapsum nunc antea occupavit intestinum. Sed in hujus locum descendit vicina superior pars, quae simile etiam spatium relinquit. Elapo denique intestino colo ex situ suo naturali, deorsum simul trahitur ventriculus, qui colo transverso, ut nemo ignorat, ope omenti gastrocolici adhaeret. Excitantur igitur tunc temporis, dum tot nervi valde distrahuntur & irritantur, vomitus ingentes, & ventriculi dolores acerbissimi.

### §. CVII.

Ultimus tandem partium corporis humani consensus, cuius historiam paucis adhuc adgredimur, a similitudine fit duarum partim inter se.

SEC-

S E C T I O V.

DE CONSENSV PARTIVM QVARVNDAM  
SIMILIVM.

§. CVIII.

Sane haud minoris est momenti hic consensus, quam reliqui jam expositi: multa etiam ei communia sunt cum vasorum consensu, jmo, si dicendum, quod res est, tota hujus consensus idea a sola pendet similitudine vasorum & glandularum.

§. CIX.

Ad hunc consensum primo referimus mirabilem illam mammarum muliebrium mutationem, quae sub tempore pubertatis, ubi prima nimirum menstruorum fit eruptio, observari solet. Incipiunt enim tunc temporis efflorescere mammae, quod recte ab ARISTOTELE jam observatum video, licet ejus observatio non penitus hujus rei veritati respondeat: quotiescumque enim (ait) mammarum altitudo, duorum circiter digitorum est, prodire menses. Verum certum est, saepe prodire, licet nulla plane adhuc mammarum tumescientia appareat.

§. CX.

Multi sunt, qui hujus phaenomeni causam ab anastomosis illis arteriarum mammariarum, & epigastricarum deducunt: & dantur utique ejusmodi anastomoses inter has arterias, quod ex anatomicis satis patet. Sed quid eis fidendum, aut tribuendum sit, nemo non facile videt

videt; nam arteria utraque epigastrica ita est disposita, ut plerumque nullum omnino ipsi cum uteri & pelvis arteriis commercium sit, quas solus fere truncus hypogastricus generat. Deinde mammis exiguae sunt eae anastomoses, quas toties in musculo recto vidimus gracilibus & capillaribus surculis fieri, neque magis epigastricae cum mammariis consentire, quam cum lumbalibus, aut intercostalibus, aut quaecunque in corpore arteriae cum vicinis arteriis solent.

### §. CXL.

Si utriusque partis, mammae scilicet atque uteri secretos liquores paulo accuratius examinaverimus, nullam aliam hujus phaenomeni esse causam, quam adfinitatem secreti humoris, reperiemus, cuius adfinitatis causam in fabricae subtilis similitudine ponи necesse est.

### §. CXII.

In virginibus saepe vix aliqua datur differentia inter liquidum, quod in mammis praeparatur, & illud, quod in uterum effunditur: utrumque enim serosum est & lacteum. Lac ipsum non raro a multis magnis Viris in uteri cavitate repertum, & ex ea exstillare visum est. b) Oportet igitur summam esse analogiam inter uteri vasa secretria & mammarum ductulos excretorios: nam, si secretoria vasa multum in mamma & utero differrent, nunquam tanta foret similitudo in his liquidis. Horum vasorum analogia autem respicit sine dubio unice proportionem illam aequalem, quae est inter uteri excretoria vasa ad arterias

suas

b) In vaccarum & ovium utero verum lac invenit MAGNVS PRAECEPTOR, & RYYSCHIVS in feminis quibusdam lochia alba vidit.

suas rubras, & mammarum ductulos excretorios ad arteris suas rubras. Et ex his nunc colligimus, illum sanguinis nixum, qui menstrua excitat, majorem etiam liquidi feros quantitatem in mammis fecernere: Nam hic sanguinis nixus nihil est, nisi nimia sanguinis copia ad uterum delati pro portione resistentiae vasculorum uteri, quae omnia fere vasa sensimque magis dilatatur.

## §. CXII.

Mammas consentire cum utero, docent variae observationes practicæ: nihil enim inauditum est, resecta una alterave cancro obfessa mamma, in ipso utero idem malum generari, quod aliquoties olim observavit BOERHAAVIVS.

## §. CXIII.

Mirabile porro hujus consensus argumentum est diarrhoea illa, quam transpiratio frigore suppressa excitat. Ponimus ex praecedentibus, in tota corporis superficie infinita adesse vascula exhalantia, quae omni fere tempore liquidum aliquod tenue, aquosum, ab igne & algorohale nullo modo coagulabile, transpirabile sanguinianum vulgo appellatum, transmittunt. Hoc liquidum exhalat ex vasculis tenerimis, arteriis rubris continuis, quae apertis oculis in cute aperiuntur: haec vascula hanc habent proprietatem, ut, adspirante aere frigidiusculo se constringere, & calore aperire facile possint. Quamdiu ita constricta sunt, tamdiu nihil plane liquidi per ea transit: hinc omnis reliqua hujus liquidi a sanguine veniens portio, priusquam ad exhalantia vasa perveniat, ubi ab incluso & retento jam liquido obstaculum invenit, cogitur reliquias transfire arteriolas, quae cum venis mutuo communicant, & per has denique lege circulationis ad cor movetur, ex hoc iterum in arterias, & harum ultimos surculos, quibus aliquam cum exhalantibus cutis vasculis analogiam esse oportet. Horum vasculorum magna certe copia in toto tam tenuium quam crassorum intestinorum tractu repetitur, quin etiam in arteria aspera, ubi a suppressa transpiratione, si liquidum hoc perspirabile in excretorios hujus arteriae asperae ductulos urgetur, tussis molesta, pulmonum catarrhus, & similia mala oriuntur.

K

## §. CXIV.

Intestinorum vasa excretoria videntur aliquid diversi habere a cutis vasculis exhalantibus, quum in statu naturali mucum quendam effundant, ad lubricanda internam intestinorum tunicam, ab anatomicis *villosum* nominatam, quemadmodum supra jam vidimus: sed hoc discrimen nihil omnino impedit, tota enim horum vasculorum differentia unice in eo consistit, quod exhalantia intestinorum vasa paulo ampliore diametrum habeant, quam cutis vascula exhalantia. Utriusque vero partis vasa & arteriolis rubris continua sunt, & transeunt nerveam & villosam intestinorum tunicam, quae cuti & epidermidis similes plane sunt.

### §. CXIV.

Supereft, ut de glandularum similitudine, quae in conglobatis praesertim valde evidens est, aliquid differant. Non infrequens certe est, ut, obstructa una alterave, a causis quibusdam interinis, ex hoc genere glandula, mox reliquae omnes, vel magna latenter pars, imperiata redatur.

### §. CXV.

Glandulas autem conglobatas vocamus omnes ejusmodi in corpore glandulas, quae globosam aliquam figuram exprimunt. Harum glandularum sedes est tunica cellulola laxa, in qua leniter firmatae sunt: hinc tanta gaudent mobilitate, ut digitis, si sub cuto percipiuntur, huc & illuc sine danno commode moveri queant. Hoc non fugit plerosque Chirurgos, dum tumores cysticos, qui destructae & induratae sunt glandulae, digitis extrahunt, vel, ut eis placet, enucleant.

### §. CXVI.

Primae harum glandularum sedent in suprema glandulae parotidis parte sub jugo, inde descendunt versus inferiorem hujus glandulae partem, ubi nonnullae circa marginem maxillae inferioris disperguntur. Princeps autem agmen descendit cum vicina carotide & jugulari vena per totum collum, usque ad insertionem venae jugularis in venam subclaviam, ubi in duo quasi agmina sive strata dividuntur, quorum pri-

num

e] vid. MAGNUM PRAECEPTOREM in Comp. Phys. pag. 26. §. 183

mum venae subclaviae directionem & partem adhuc aliquam venae brachialis sequitur: hinc primae ob viciniam venae subclaviae glandulae subclaviae, reliquae axillares appellantur, quae glandulae axillares in peste in abscessus sive bubonies mutantur. Musculo bicipiti aliquot etiam glandulae insident, sed in reliqua brachii parte & manibus ne vestigium quidem earum adest, unde nulla etiam hic conspicua sunt vasa lymphatica, nam, ubi adfunt glandulae congregatae, ibi perpetuo adfunt vasa lymphatica.

### §. CXVIII.

Alterum harum glandularum agmen in ipsam descendit thoracis cavitatem, sub nomine glandularum bronchialium, sed male omnino: harum pars una migrat cum vena cava ad transitum suum per alam dextram septi transversi; altera supra pericardium dilpergitur: Eas glandulas optimus LANCISIVS tanquam fontes certos scaturientis in cavum pericardii aquae & halitus, post mortem maxime ibi reperiundi, descripsit; sane hic error non tam illustri, & in altioribus negotiis occupato Viro LANCISIO, quam Chirurgo Romano CAIETANO PETROLI tribuendus est, qui Lancisio has descriptiones proposuit: Ipse enim LANCISIVS haud potuit tunc temporis, ob illustre, quo fungebatur, officium, cum apud Clementem XI. Pontificis Archiatri munus obiret, proprias insti-tuere dislectiones.

### §. C XIX.

Non exigua est copia glandularum congregatarum, quae ductum thoracicum, & arteriam aortam per totum thoracem sequuntur, sub nomine glandularum dorsalium, ex quibus nonnulli Clari Virinon firma suspicione usi, liquidum ventriculi provenire scripserunt.

### §. CXX.

Similibus glandulis neque abdominis cavum caret: magna enim & hic earum est vis, quae cum ductu thoracico & vicina arteria aorta huc pervenit. Vocantur hic glandulae lumbalas; quae cum vasis autem iliacis ad inguina descendunt, inguinales. In pelvi multae etiam sedent circa nervum obturatorium, & vasa ejusdem nominis: aliae ludunt retro

retro & circa intestinum rectum, cum quo iterum in abdomen adscendunt, ubi denique in mesenterii & mesocoli duplicaturam late disperguntur, quod aliquoties observavit Illustris & aeternum mihi venerandus Praeceptor. Circa abdominis vasa magna coacervantur saepe in agmina: circa venam v. gr. portarum, truncum arteriae coeliacae, & humus ramos, lienalem, & illos, qui curvaturam minorem ventriculi adeunt.

### §. CXXI.

Inter omnes fere corporis humani partes nulla certe mutationibus tam facile obnoxia esse videtur, quam glandulae hae conglobatae; aliam enim habent figuram in recens natis, & junioribns corpusculis, quam in adultis, ibi enim rubellae sunt, subpallidae, & attachu molissimae, liquidum in se continent sublaetum, album, & serosum; hic autem, in adultis quippe, & aetate profectioribus, caeruleae quasi aut nigrae penitus sunt; attachuque longe duriiores, neque ea qua in junioribus copia supersunt, plurimae enim evanescunt, & ita indurantur, ut liquidum nullum transmittant, quod in senectute summa in se ipso olim optimus RYVYSCHIVS obseruavit. In ultima nempe aetate mesenterii praesertim glandulas induratæ & ad transmittendum chylum inutiles plane esse. Earum officio tunc funguntur resorbentes illae venulae mesaraicae intestinalorum. <sup>d)</sup>

### §. CXXII.

Summam esse analogiam inter has glandulas docet non solum Anatomæ, sed & variae observationes practicæ. Nam infantilis, quibus collum scrophulis sive induratis ejusmodi glandulis obsessum fuit, pleraque internæ post mortem simul obstructæ & induratae repertæ sunt. Non potest certe valde magna inter has glandulas adesse differentia, quia omnes simile liquidum continent, albido serosum.

### §. CXXIII.

Et haec sunt, B. L. quae de consensu partium corporis humani proferre mihi licuit. Multa sine dubio hic inventies, quae tuam attentionem omnino haud merentur, haec autem, si placet, exiguis meis tribue viribus.

<sup>d)</sup> vid. Magnum Praeceptorem in Comp. Physiolog. pag. 39. I. §. 712.

Ung V 8

ULB Halle  
001 516 264

3




sb

6018  
VD17

Z



B.I.G.



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

D E

# CONSENSV PARTIVM CORPORIS HVMANI

Q V A M

CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICI  
PVBLICE DEFENDET

A V C T O R

D A N I E L L A N G H A N S

BERNAS - HELVETVS.

R. MART. XXVI. MDCCXXXVIII.

H. L. Q. S.



G O T T I N G A E,  
APVD ABRAM VANDENHOECK, ACAD. TYPOGR.

